QUAESTIONES DE PERSARUM SATRAPIS SATRAPIISQUE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

ADOLFUS BUCHHOLZ
LIPSIENSIS.

LIPSIAE
TYPIS M. HOFFMANNI
1894.

CURTIO WACHSMUTH

SACRUM.

CAPUT I.

DE PERSAVUM MUNERIBUS SATRAPARUM ET IMPERATORUM.

Populos imperio Persarum subactos Cyro atque Cambyse dominis non tributa, sed dona praebuisse Herodotus (III, 89) memoriae prodidit. Quod institutum Dareus ita mutavit, ut certam quandam pecuniam unicuique genti solvendam imponeret. Ante hoc quidem tempus iam fuisse in earum finibus Persicos magistratus consentaneum est, qui copiis eas gentes coercebant atque ceteris officiis fungebantur. Haec autem munera Darei institutione magnopere sunt aucta, cum inde tributa exigenda essent. Iam quaerendum est, num pristinis magistratibus ea munera tributa sint. Sed tum exercitui eosdem praefuisse atque qui administrationem gerebant putandum est. Nec desunt, qui hanc opinionem profiteantur. Imprimis affero Krumbholzium (de Asiae minoris satrapis Persicis. Diss. inaug. Lips. 1883) in satraparum numerum omnes referentem, qui a scriptoribus Graecis nominantur στρατηγοί. Sed Lenschau (de urbe Prienensium. Diss. inaug. stud. Lips. XII) errorem eius paucis demonstravit. (p. 137 ss). Ante hos iam Gutschmid (Kleine Schriften III, p. 511) illa munera differre inter se obiter adnotaverat. Neuter tamen hanc quaestionem ita tractavit, ut quae fuerit condicio utriusque magistratus aperte cognosci possit. Nam Lenschau neque Xenophontis de hac condicione testimonia satis accurate explicavit, neque id, quod ex exemplis a ceteris historicis allatis concludi licet, satis sagaciter statuit. Praeterea cum iam ante Darei aetatem magistratus illos separatos esse arbitretur, a Dareo mutationem esse effectam omnino non animadvertit.

Itaque postquam qualia satrapae et imperatoris officia fuerint explicavimus, diiudicandum erit, quomodo illa munerum separatio exstiterit.

Ac primum quidem Xenophontis hac de re testimonia examinabimus, deinde id, quod ex his sequitur, comparabimus cum eis, quae scriptores historici de satrapis quibusdam Persicis tradiderunt.

---

§ 1.

Xenophontis de satrapis et imperatoribus Persicis testimonia.

Dareus, cum tantam rerum publicarum commutationem institueret, ipse provinciarum gubernationem fecisset difficilem, si uni praefecto et administrationem et imperium tribuisset. Nam in multis illis bellis, quae cum intra satrapiam tum extra eam gerenda erant, alterius magistratus vicarium constitui oportuisset a satrapa, quod utroque fungi non poterat. Quod Dareum, qua erat eximia rei publicae gubernandae prudentia, certe evitasse conicere licet. Deinde nimis erat periculosum uni satrapae et vectgalia et copias provinciae mandare, praesertim cum latissiime paterent Persici imperii fines.

Quod idem a Xenophonte perspectum esse videmus, cuius de satrapae et praetoris muneribus testimonia iam sunt pensitanda. In Cyrup. VIII, 6, 1 enim legimus Cyrum ut ei duces, qui provinciarum copiis praeerant, non satraparum, sed ipsius audientes essent dicto decrevisse. Causam quidem huius rei affert Xenophon eorum imperium opponere voluisse quodam modo Cyrum satrapis, qui illorum copiis prohiberentur a rege deficere vel seditione mota opprimerentur. Falso autem Xenophontem hanc institutionem Cyro tribuisse comperimus ex Her. III, 89. Qui error apparet ex ea consuetudine, quam Xenophon secutus est in Cyrupaedia componenda. Nam cum Cyrum finxerit exemplum egregii regis, cum omnia fere instituta publica, quae ipse cognoverat apud Persas, ad hunc revocaverit, satraparum munus ab eodem constitutum esse narrat. Hac tamen ignorantia Xenophontis non plane infringitur narrationum auctoritas, quibus qualis fuerit satraparum magistratus aetate Xenophontis dilucide exprimitur. Quae cum ita sint, ille locus consentiet cum altero, in quo sermo est de satrapis Persicis, dico Oecon. IV, 5—11.

Notum est hoc libro reddere Xenophontem dialogum Socratis atque Critobuli, in quo hi de oeconomia, quae dicitur, disputant. Socrates l. l. Persarum regem affert exemplum boni principis. Ex institutis enim Persicis eum eodem modo curare res militares atque pacis opera colligit. Quae tam copiose re vera a Socrate explanata fuisse in dialogo, minime est verisimile. Sed cum non habeamus, cur dialogum omnino fictum esse censeamus, illa postea ei esse inserta consentaneum est. Quod eum fecisse, qui hunc librum composuit, nemo non coniciet.

Itaque cum auctor eius Xenophon satis certis testimoniis firmetur, ab eo etiam illum locum interpositum esse putabimus, praesertim cum nullum scriptorem inveniamus, qui magis idoneus fuerit ad illa supponenda, nisi forte Ctesiam afferes.

Quibus neglectis Lincke in libro, qui inscribitur „Xenophons Dialog περὶ οἰκονομίας in seiner ursprünglichen Gestalt.“ 1879, p. 86ss hanc praesertim partem esse Xenophontis negavit[1]) Quod eam in ipso dialogo locum non habuisse dicit, concedendum ei est, sicuti vidimus. Examinanda autem sunt, quae contra Xenophontem scriptorem huius loci profert.

Omitto argumenta, quae Lincke in universum contra integritatem huius loci affert, cum ea non nimis valere ipse Lincke senserit[2]) Ad id accedo, quo imprimis L. nititur. §§ 5—11 pertractans in eis inesse, quae minime Xenophonti attribui possint, exponit. Neque quisquam hac in re ei adversabitur, cum hunc locum, qualis exstat, neque Xenophon neque ullus homo ratione sana praeditus scribere potuit. Perversum igitur est, quod hac ex re Lincke interpolatoris esse eum effici putat. Hoc tantum inde apparet verba eius esse depravata[3])

Inspiciamus igitur Oec. IV, 4—11, ut sensum huius loci restituamus eoque restituto quid praebeat ad condicionem satraparum muneris designandam cognoscamus.

In § 4 Socrates regis Persarum non minus interesse rem militarem quam agriculturam contendit. Qua de re cum Critobulus dubitet, Socrates exemplis sententiam suam affirmare studet. Sequentibus enim comparat regis curam rerum militarium cum agriculturae. Quam comparationem inutilem esse elucet, nisi disputaret eandem operam navare regem agriculturae atque militiae.

Initia ponit Socrates in § 5. Rex unicuique ἄρχοντι populorum in potestatem eius redactorum imperavit, ut certum militum numerum conscriberent atque alerent. Voce ἄρχων hoc loco satrapam significatum esse et per se patet et verbis

---

[1]) Cum eis, quae profert, consentit Lenschau. cf. p. 137. adnot. 1.

[2]) Quod Xenophon in § 16 de Cyro minore verbis utitur: ὅσπερ εὐδοκιμώτατος δὴ βασιλεὺς γεγένηται, ea spuria esse intellegitur ex § 18, qua Cyro opponitur rex, i. e. μέγας βασιλεύς, ut benignissime me monuit Wachsmuth magister. Itaque glossema ea verba sunt, cuius naturam prae se ferunt.

[3]) Jam Hartmann (Analecta Xenophontea p. 196) hunc locum sanare studuit. Sed et causa, cur glossema exstare censeat verba § 5 καὶ τῶν σατραπῶν, et ratio, qua eiectis his verbis integram fieri putat sententiam, falsae sunt.

οἵτινες τῶν(τε) ὑπ' αὐτοῖ ἀρχομένων ἱκανοὶ ἔσονται κρατεῖν aperte comprobatur. Harum copiarum quattuor genera enumerantur, qui sunt *ἱππεῖς, τοξόται, σφενδονῆται, γερροφόροι.* Auxilio eorum et populi subiecti coercentur et terrae ab externis hostibus defenduntur. Praeter has copias *φυλακαὶ ἐν ταῖς ἀκροπόλεσιν* alendae erant satrapae, quarum neque de numero neque de genere certiores nos facit Xenophon. Plane autem secretos fuisse a militibus supra commemoratis apparet. Itaque hos non fuisse in urbibus, sed extra eas dilucide cognoscitur ex appositione illa *ἐν ταῖς ἀκροπόλεσιν.*

Sequentibus verbis *καὶ τὴν μὲν τροφὴν τοῖς φρουροῖς δίδωσιν ὁ ἄρχων, ᾧ τοῦτο προστέτακται* antecedentia complexus a satrapae officiis Xenophon deflectit ad regem assiduā operā asservantem satrapas. Legimus enim: *βασιλεὺς δὲ κατ' ἐνιαυτὸν ἐξέτασιν ποιεῖται τῶν μισθοφόρων καὶ τῶν ἄλλων, οἷς ὡπλίσθαι προστέτακται.* Rex igitur quotannis satraparum copias recenset. Illis verbis quidem duo militum genera distinguuntur, *οἱ μισθοφόροι* et *οἱ ἄλλοι, οἷς ὡπλίσθαι προστέτακται.* Item duo genera copiarum Xenophon supra commemoravit, ad quae quin illa respiciant non est dubium. Nec de hoc dubitari potest, quinam sint illi mercenarii. Ex ordine enim verborum patet eos spectare ad illas *φυλακὰς κατὰ τὴν χώραν,* quarum in § 5 mentio est facta, ita ut alteros esse *τὰς φυλακὰς ἐν ταῖς ἀκροπόλεσιν* appareat. Hos igitur verbis *οἷς ὡπλίσθαι προστέτακται* superioris esse ordinis indicatur, quod neque per se in praesidiis urbanis offendit et Cyrupaediae testimonio probabitur, quo quales fuerint hae copiae urbanae comperiemus[4]).

Milites igitur a satrapis exstructos rex, quantum potest, ipse recenset[5]). In eas autem provincias, quae nimis absunt ab im-

---

[4]) Hartmann l. l. p. 196 pro *οἷς* falso scribit *οὓς.*

[5]) Simul mercenarios congregat in syllogum, qui dicitur. Hoc inest in verbis: *καὶ πάντας ἅμα συνάγων, πλὴν τοὺς ἐν ταῖς ἀκροπόλεσιν, ἔνθα δὴ ὁ σύλλογος καλεῖται.* Quem locum esse extra urbem apparet. Quo non recensionis causa milites abducebantur, — nam praesidia urbana in urbe manebant, — sed castra stativa erant eorum, qui extra urbem collocabantur. Legimus enim in Cyrup. VI, 2, 11 haec: *Θύμβραρα, ἵνθα καὶ νῦν ὁ σύλλογος τῶν ὑπὸ βασιλέα βαρβάρων τῶν κάτω Συρίας.* Quare certos quosdam locos fuisse cognoscimus, quibus copiae singularum satrapiarum colligebantur. Sed cum ex testimoniis supra laudatis suum quamque provinciam syllogum habuisse concludas, complurium satrapiarum copias in unum congregatas esse docet Xen. Anab I, 9, 7: *Κῦρος στρατηγὸς (δὲ καὶ) πάντων ἀπεδείχθη, οἷς καθήκει εἰς Καστωλοῦ πεδίον ἀθροίζεσθαι,* et idem An. I, 1, 2. Campum enim Castolium apparet esse castra stativa exercitus, cui Cyrus praeerat.

perii capite, fidos viros mittit, qui pro rege eodem munere fungantur.

Usque ad hunc locum narratum invenimus apud Xenophontem archonti esse imperatum, ut certum militum numerum a rege impositum armaret armisque instructos aleret. Archontem illum satrapam esse luce est clarius. Hic enim, cum administraret publicam provinciae pecuniam, ex ea imperatum illud exsequi et potuit et debuit. Illis tamen copiis ipsum praefuisse ne verbo quidem significatum est.

Cum adhuc contextus Xenophontis satis fuerit perspicuus, verbis, quae sequuntur, plane turbatur eius sensus. In § 7 enim scripta invenimus haec: *καὶ οἳ μὲν ἂν φαίνωνται τῶν φρουράρχων καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ τῶν σατραπῶν τὸν ἀριθμὸν τὸν τεταγμένον ἔκπλεων ἔχοντες καὶ τούτους δοκίμοις ἵπποις τε καὶ ὅπλοις κατεσκευασμένους παρέχωσιν, τούτους τοὺς ἄρχοντας . . . τιμαῖς αὔξει.* Verba *τῶν φρουράρχων — σατραπῶν* pendent ab *οἳ ἄν.* Verba igitur *τούτους τοὺς ἄρχοντας* ad tres magistratus supra nominatos pertinent. Ad *ἀριθμὸν τὸν τεταγμένον* tum esset supplendum „militum" vel tale quid. Qui genetivus hoc loco eo magis desideratur, quod sequentia verba *καὶ τούτους — κατεσκευάσμενους* ad talem genetivum melius referuntur quam ad vocem *ἀριθμόν.* — Sed phrurarchos et chiliarchos quoque milites parare iussos esse nusquam Xenophon dixit.

Gravissimum autem est illud, quod vocabulum *ἄρχοντας* ad duces quoque militum referre cogimur, cum supra non spectet nisi ad satrapas.[6])

Quo discrimine hunc locum esse corruptum indicatur, minime autem eum non esse Xenophontis, ut vult Lincke.

Videamus, quid sensu postuletur. Rex eos satrapas laudibus donisque adornat, qui officiis bene sunt functi. Itaque, cum agatur hoc loco de copiis instruendis, ei satrapae mandatis regis recte obsecuti sunt, qui iustum militum numerum eis praescriptum comparaverunt. Tamen non milites ipsos, sed etiam eorum duces nimirum satrapam eligere oportebat. Haec omnia, quae desideramus, restituuntur lenissima emendatione, qua Wachsmuth magister egregie hunc locum sanavit. Scribit enim *καὶ οἳ μὲν ἂν φαίνωνται τῶν φρουρῶν* (cod. *φρουράρχων*),

---

[6]) Alia de causa hoc loco Hartmann l. l. p. 196 offenditur. „Absurdum esse" dicit, „de satrapis aliquid narrare, antequam expositum sit, quid illud satrapis nomen significet" Quam nominis definitionem in § 11 demum afferri. Quod argumentum nihil omnino valet, praesertim cum verba § 11, quae in censum veniunt, interpolatoris sint. cf. p. 14. adn. 10.

καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ τῶν στρατιωτῶν (cod. *σατραπῶν*), *τὸν ἀριθμὸν τὸν τεταγμένον κ. τ. λ.* Verba igitur *τῶν φρουρῶν*, quae commendantur sequentibus verbis, quae aperte his respondent *καταμελοῦντες τῶν φρουρῶν* [7]), pendent ex voce *τὸν ἀριθμόν*. Verbis *καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ τῶν στρατιωτῶν* bene supplentur ea, quae in § 5 de his copiis sunt narrata. Ibi enim ducum mentio non est facta, quae hoc quidem loco minus desideratur quam nostro. *οἱ ἄρχοντες* igitur satrapae sunt, quod consentit cum priore illius vocis usu.

Omnes ergo dubitationes, quae ex corrupto illo textu proferri possunt, corruptela remota tolluntur simulque argumenta, quae ex ea Lincke contra Xenophontem auctorem huius capitis promit.

Rex igitur quotannis provinciarum exercitus inspiciens satrapas, qui eius mandata neglexerunt, punit atque magistratu se abdicare cogit. In loco eorum alios satrapas instituit. [8])

Quae cum faciat, rex Xenophonti bene consulere rebus militaribus videtur. Deinde ad agriculturam a rege non neglectam Xenophon transit.

Sicuti supra satrapae praeceptis regis obsecuti praecipuo honore habentur, si ea neglexerant, graviter puniuntur. E causis, quare hoc fieri soleat, discimus, quae officia ad agriculturam spectantia satrapae fuerint curanda. Imprimis igitur ei erat prospiciendum, ut agri bene consererentur et satrapiae regiones satis essent incolis frequentes.

Ex his, quae Xenophon protulit, si quid de regis cura agriculturae concludemus, nihil censebimus nisi hoc effici eam tantopere eius interesse quanto militiam. Aliter sentiret Socrates,

---

[7]) cf. etiam § 6 et § 11.

[8]) Suo iure Lincke l. l. p. 90 offendit, quod Xenophon vocem *ἐπιμελητάς* in § 7 adhibuit pro satrapis. Adversatur enim hic usus Cyrup. VIII, 1, 9 ss., ubi enumerantur *ἐπιμεληταί* Cyri, in quibus sunt canum et equorum custodes, minores sine dubio magistratus. Opponuntur eis quodam modo *συμφύλακες τῆς εὐδαιμονίας*, quos ipse Cyrus diligentissime eligebat ex nobilibus Persis. Quorum ex numero idoneos ad alia gravissima munera destinandos esse intellexit et ad satraparum, ut aperte declaratur verbis § 11: *καὶ σατράπαις ᾔδει, ὅτι τούτων τισὶν εἴη χρηστέον*. Itaque expresse distinguuntur *ἐπιμεληταί* et graviora munera. Qua ab opinione vehementer abhorret usus vocis *ἐπιμελητής* nostro loco. Sed cum hic usus per se offensionis ansam non det, discrimen quidem intercedere concedendum est inter illos locos, tamen spurium esse Oeconomici testimonium ex illa discrepantia minime efficitur. Quae si gravior esset quam quae Xenophontis neglegentiae tribuit licet, nihil appareret nisi interiectam esse vocem *ἐπιμελητάς* ab interpolatore quodam.

si cum Sauppio et Dindorfio sequentia verba acciperemus affirmationem, non interrogationem, quam dicimus rhetoricam, ut fieri oportet atque in veteribus editionibus est factum. Responsum Critobuli Socrates differt eis, quae in sequentibus disserit. Quod cur fecerit, nunc videamus.

Forma illius interrogationis non satis accurate expressa est. Quaerit enim Socrates: *ταῦτα ποιῶν δοκεῖ ἧττον ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ἡ γῆ ἐνεργὸς ἔσται ὑπὸ τῶν κατοικούντων ἢ ὅπως εὖ φυλάξεται ὑπὸ τῶν φρουρούντων;* Hunc in modum interrogatum Critobulum respondere oportuit, si quidem Socratis verba premeret, illam controversiam se diiudicare non posse, quippe qui ab eo certior factus non sit, quomodo rex ut terra satis a satraparum copiis defenderetur consuluisset. Nam adhuc Socrates regem curasse integrum militum numerum a satrapis conscriptorum demonstravit, quibus instructis terra nondum ab hostibus tuta erat. Sequentibus igitur inseruit Xenophon, quomodo rex illum finem assequatur.

In antecedentibus enim instructas quidem copias esse a satrapis, nihil autem de duce earum legimus. Cui cum sine dubio cura provinciae bene custodiendae conveniret, rex, si huic rei prospicere volebat, eum quoque inspicere vel inspici aliquo modo iubere debebat. Itaque hac de re Socrati erat agendum, ut Critobulo facultatem respondendi daret. Neque enim satrapae, ut facile quispiam credat, imperium quoque concessum est, sed singularis dux id tenet. Hic igitur praepositus est *τοῖς ὡπλισμένοις φρουροῖς.*[9]) (§ 9). Quibus copiis duces provincias ab hostibus defendere debent atque incolas earum coercere, sicuti ex § 5 nostrum locum supplere possumus. Milites enim hoc loco descripti eidem sunt atque *οἱ φρουροί,* quibus praeest *ὁ φρούραρχος,* qui appellatur a Xenophonte. Illae autem copiae aperte distinctae sunt ab urbium praesidiis. Utrum haec quoque phrurarcho subdita fuerint an non, intellegi e nostro loco non potest. Uberius de eis eorumque ducibus Xenophon agit in illo Cyrupaediae capite, quod infra cum nostro loco comparabimus.

Ut satrapae ita phrurarchi quoque observabantur, nimirum ab ipsis satrapis, quod hi muneribus mandatis fungi prohibebantur, si illi officia neglegebant. Nam si satrapia non tuta erat ab hostibus, administratores eius pacis opera exsequi non poterant. Itaque ipsorum causa hi coacti erant consulere, ut phrurarchi

---

[9]) Adiecto illo *ὡπλισμένων* in memoriam revocatur, quod Xenophon supra exposuit. Hac enim voce addita significatur copias non a ducibus illis conscribi et armari, sed a satrapis.

praescripta a rege officia curarent. Quod ni faciebant, apud regem eos accusabant.

Quacum re arte conexum est, quod phrurarchus teste Xenophonte inspiciebat satrapam, ne deserta ab incolis atque inculta foret provincia: mercedem nimirum solvere non potest satrapa militibus omissis officiis.

Munus eius adhuc non commemoratum cognoscimus ex § 9 tributorum exactionem. Ut ex Her. III, 89 comperimus, compluribus gentibus quasi in unam unitis certa pecunia solvenda erat imposita, quam ut efficerent illae, suam quamque partem tradere oportebat. Hae pecuniae igitur satrapis erant exigendae et ad regem deferendae. Praeterea ipsi indigebant pecunia, qua copias instruerent atque alerent, quam eos sumpsisse a populis subactis apparet. Quam sententiam si non acciperemus, ex tributis regiis pendenda fuisset merces militibus. Sed hoc non consentit cum § 11, in qua *τοὺς φρουροὺς τρέφειν* atque *τοὺς δασμοὺς ἀποδιδόναι* aperte discernuntur.[10])

Ex eis, quae adhuc disputavi, caput quartum Oeconomici Xenophontis esse elucere puto, cum argumenta a Linckio contra eum auctorem allata nihil valere demonstraverim. Quae sententia eo confirmabitur, quod illud caput in omnibus rebus gravioribus egregie convenire videbimus et cum universa Cyrupaedia et cum VIII, 6, quocum capite iam ea comparanda sunt, quae ex Oeconomico de satraparum munere cognoscere poteramus. Antea autem haec breviter in memoriam revocemus. Xenophontis aetate administrationem provinciarum Persicarum gerebant archontes, quorum nomen illo loco non est allatum. Hi tributa exigunt, copias conscribunt atque alunt, bonae terrae condicioni

---

[10]) Sequentibus verbis *ὅπου δ' ἂν σατράπης καθιστῆται, οὗτος ἀμφοτέρων τούτων ἐπιμελεῖται* satrapae definiri officia adnotat Hartmann l. l. p. 196. Satrapam enim appellari, qui utroque munere fungatur, id est archontis et phrurarchi. Qui sensus in eis verbis nequaquam inesse potest. Nam verba *ἀμφοτέρων τούτων* referenda sunt sine dubio ad antecedentia *οὔτε τοὺς φρουροὺς ἀποδιδόναι,* ut omittam satrapae falso phrurarchi munus tributum esse. Sensus igitur illius loci est: sed cum satrapa constituitur, hic et copias alit et tributa regi tradit. Quod tam inepte hoc loco additur, ut Xenophontem id scripsisse non liceat arbitrari. Nam is, qui hoc modo satrapae munera explicavit eaque archontis supra nominati officiis quodam modo opponit, omnino non intellexit, archontis voce satrapam in nostro capite a Xenophonte significari. Itaque illa verba pro glossemate eicienda sunt eo magis, quod sententiarum conexus eis interrumpitur. Jam Nitsche (Über die Abfassungszeit der Hellenika. p. 23) haec verba delevit. Falso tamen eadem ratione ea interpretatus est atque Hartmann, cum adversari eorum sensum putet Cyrup. VIII, 6, 1.

prospiciunt, sed imperium ullum non tenent. Militibus ab eis instructis singulares praesunt duces, qui munera satrapae eam ob causam inspiciunt, quod defensio satrapiarum ipsis mandata ex bona satraparum administratione terrae pendet. Hi autem simili de causa ut duces recte muneribus fungantur consulunt. Qua ex re cognoscimus magistratus illos, quod attinet ad universum eorum genus, non solum seiunctos, sed etiam oppositos alterum fuisse alteri. Praeterea satrapae quotannis recensentur a rege ipso vel eius vicariis. Hic quaerat quispiam, cur gravissimum ducis munus a rege non fuerit inspectum. Nam de tali cura eius ego ne verbum quidem inveni, quamvis Lenschau l. l. p. 137 eam fuisse contendat. Illam enim exspectaremus, si ducum magistratus quidem ut satraparum non certo temporis spatio definitum fuisset. Qua de re in Oeconomico praetermissa comperiemus ex Cyrupaediae testimonio, quod nunc petractemus. Possumus enim eo supplere narrationem Oeconomici, cum in Cyrupaedia quoque a Xenophonte suae aetatis condicionem imperii Persici illustratem esse secundum rationem illam supra explicatam liceat suspicari. (p. 8.)

Initio capitis Cyrus satrapas ad gentes pacatas mittere constituit. Antea actum est de Cyri bellis ad eos populos subigendos gestis, de quibus in Cyr. VIII, 6 sermo est. Itaque hoc in capite quomodo eorum administrationem Cyrus instituerit Xenophon exponit. Adhuc Cyrum praesidia in urbibus eorum collocasse didicimus. cf VII, 4, 7; 4, 10; 4, 12; 5, 34.

Ad has igitur gentes tum primum administratores Cyrus misit. Itaque iam Xenophon verba facit de novo satraparum munere, quamquam iam VII, 4, 2; 4, 7; VIII, 1, 10 mentionem eius fecit. Tum pergit: *τοὺς μέντοι ἐν ταῖς ἄκραις φρουράρχους καὶ τοὺς χιλιάρχους τῶν κατὰ τὴν χώραν φυλακῶν οὐκ ἄλλον ἢ ἑαυτοῦ ἐβούλετο ἀκούειν.* Verba *οἱ ἐν ταῖς ἄκραις φρούραρχοι* aperte spectant ad duces praesidiorum in urbibus captis relictos, de quibus supra dixi. Quam vim habeant *οἱ χιλίαρχοι τῶν κατὰ τὴν χώραν φυλακῶν* hoc loco nemo perspiciet, quod Xenophon tales copias adhuc non commemoravit. Easdem esse, quas Xenophon in Oec. IV, 5 describit, luce est clarius. Itaque voce *χιλίαρχος* in Cyrupaedia eos duces Xenophon significat, quos phrurarchos in Oeconomico appellavit. cf. Cyrup. VIII, 6, 9.

Omisso autem hoc nominum discrimine illi loci plane inter se conveniunt. Nam id munus, quod satrapae oppositum fuisse ex Oeconomico intelleximus, non sub administratione eius erat. Idem in Cyr. VIII, 6, 1 exprimitur. Duces enim utriusque

militum generis non sub satraparum imperio, — in hunc enim quadrant verba *οὐκ ἄλλον ἀκούειν* —, sed sub ipsius esse Cyrus vult. Quod praesidorium urbanorum duces hoc loco singulares commemorantur, eos ab ceterorum ducum imperio liberos fuisse cogitur.

Illam separationem munerum satraparum et ducum Cyrus instituit, i. e. Xenophontis aetate instituta erat, ut rex, si satrapae divitiis atque subiectorum multitudine elati ab eo desciscere conarentur, in ipsis provinciis haberet exercitum ducemque sibi oboedientem, qui illam seditionem opprimeret. Quam causam quin Xenophon rectissime intellexerit, non est dubium. Nam hac re praesertim Dareum, qua erat prudentia, esse commotum elucet, ut munera illa seiungeret.

Lenschau l. l. p. 137 huius capitis § 3 imbecillo nititur fundamento, quo illa separata fuisse explicet. Phrurarchos enim illos non esse *τοὺς στρατηγοὺς* Persarum, quos scriptores dicunt, patet ex verbis *τὰ (δὲ) τείχη διασώζειν,* quod solum eorum officium expresse Xenophon affert. Illi autem *στρατηγοὶ* multis aliis praeterea fungebantur officiis, imprimis provinciam tutam ab hostibus reddere debebant. Sed hoc mandatum erat phrurarcho illi in Oecon, IV, 9 s. commemorato, quem eundem esse atque *τὸν στρατηγόν* inde apparet. Mirum in modum eius Xenophon Cyr. VIII, 6, 3 omnino mentionem non fecit.

Enumeratio officiorum satraparum plane consentit cum Oeconomici. Novi aliquid ex § 4 comperimus, secundum quam rex satrapis in ipsis provinciis dono dat *χώρας καὶ οἴκους*. Verbis § 5: *καὶ νῦν εἰσιν ἔτι τοῖς ἀπογόνοις τῶν τότε λαβόντων αἱ χῶραι καταμένουσαι ἄλλαι ἐν ἄλλῃ γῇ* hos tractus atque aedificia hereditaria fuisse demonstratur. Satrapiae ipsae non hereditariae erant, quamquam interdum filium patris satrapiam administrandam suscipere non erat vetitum. Ad hanc possessionem quadrant verba § 12: *κτᾶσθε δὲ καί παραδείσους καὶ θηρία τρέφετε.*

Deinde satrapis mandatur, ut ad regem mittant, si quid singulare provinciae praebeant. Quod quid sibi velit, illustratur Her. I, 192, quo legimus: *βασιλέϊ τῷ μεγάλῳ ἐς τροφὴν αὐτοῦ τε διαίρηται, πάρεξ τοῦ φόρου, γῆ πᾶσα ὅσης ἄρχει.*

Oratione Cyri finita ei afferuntur in § 7, quos primos satrapas Cyrus tum in provincias miserit. Hos non esse aequales Cyri constat inter omnes[11]).

[11]) Inter eos Xenophon separatim nominat satrapas Phrygiae maioris et Lydiae. In altera huius dissertationis parte uberius erit explicandum has regiones semper sub unius satrapae imperio con-

Additur huic satraparum indici, quod Cyrus ad Cilices, Cyprios, Paphlagonas non miserit administratores, cum hi interfuissent expeditioni eius contra Babylonem urbem susceptae. Quo de nuntio si eadem ratione atque de ceteris iudicamus, eas gentes Xenophontis temporibus non sub satrapis a rege missis fuisse, sed ipsorum principibus oboedisse concludendum est. Quod confirmatur Cyr. VII, 4, 2 neque ceterorum scriptorum testimoniis refutatur.

Sequentia verba suo loco non esse Lincke in dissertationis suae p. 27 nixus argumentis parum potentibus contendit. Monendum autem est hunc locum esse in eis, qui maxime proprii sunt Xenophontis. Dissimulare eis tentat, quomodo hunc librum composuerit. Re vera enim vetera finxit instituta secundum ea, quae suae erant aetatis.

Deinde minime pugnat ille locus cum verbis § 3 *οὓς τότε κατελίπομεν,* quod non ad primam illorum praesidiorum institutionem referendus est. Recordemur Cyrum oratione ad familiares habita non exposuisse quidem apertis verbis, sed voluisse explicare, quod de ducibus praesidiorum urbanorum secundum § 1 constituerat. Verba igitur § 9 quadrant ad eam Cyri institutionem, qua illos duces non sub satraparum imperio esse voluit. Itaque ad *βασιλέως εἰσίν* mente supplendum est *οἱ σατράπου* atque similiter in sequentibus.

Inde a § 10 nonnulla de variis rebus praecepta afferuntur, quibus satrapae Cyrum aemulari iubentur. Itaque eadem Cyrum ipsum instituisse hac ex re colligere licet — Ac primum eis imperatur *ἱππέας καθιστάναι ἐκ τῶν συνεπισπομένων Περσῶν καὶ συμμάχων καὶ ἁρματηλάτας.* Equites igitur et currus falcatos conscribere oportebat satrapam ex Persis eorumque sociis, qui

---

iunctas fuisse. Ita Cyrum eas administrasse et ex multis aliis locis et ex Diod. XIV, 19 cognoscitur, quo ex loco quomodo error Xenophontis exstiterit elucet. Ibi enim Cyrus, cum contra regem esset profecturus, vicarios singularum satrapiae suae gentium instituit. Quos cum cognovisset Xenophon, particeps eius expeditionis, hac re ut fingeret singulares earum gentium satrapas adductus est, ut discimus ex hoc loco, quo satrapam Phrygiae maioris affert Artacamam ipsius aetate eidem terrae praefectum. Hoc enim ex fine Anabaseos apparet Nam eos satrapas, qui Anab. VI, 8, 25 Lydiae et Phrygiae administratores appellantur, esse Cyri vicarios viri docti intellexerunt. Sed cum Lydiae rectorem Xenophon nominet Chrysantem, cuius provinciae scriptoris aetate vicarium Cyri fuisse Artimam idem locus testimonio est, ex Artacamae exemplo de aliis viris ignotis non licet facere coniecturam. Pleraque certe illius enumerationis nomina Xenophontis sunt commenticia.

comites eum sequebantur in provinciam. Quinam fuerint hi socii, qui cum Persis aperte opponuntur populis subactis, paulo infra videbimus. Numerus horum equitum non est constitutus, sed quo quisque maiores copias instruxerit, eo magis a rege honoratur. Quod ut fieri possit, hos milites a rege recenseri necesse est. Ad hoc spectant et verba *ὅς δ' ἄν ἐμοί .... ἀποδεικνύῃ* et verba § 14: *ἔτι καὶ νῦν τῷ αὐτῷ τρόπῳ πᾶσαι (μὲν) αἱ ὑπὸ βασιλεῖ φυλακαὶ ὁμοίως φυλάττονται.* Quo loco eas quoque copias sub summo regis imperio fuisse apparet. cf. etiam § 15.

Adhuc ergo verba fecit Xenophon de praesidiis urbium, quae cum satrapae in provincias venerint, iam erant instituta, deinde de equestribus copiis ab eis conscribendis. Ex Cyrup. VII, 4,12, quo loco genus illorum praesidiorum significatum est, e pedestribus militibus ea constitisse conici potest. Itaque equitibus auctos esse pedestres milites antea in urbibus relictos putabimus. Xenophontis igitur aetate et pedites et equites ut praesidia in urbibus collocati erant. Certe utraeque copiae ex Persis atque Persarum sociis constabant. Quod de equitibus expressis verbis est dictum. De ceteris inde sequitur, ut Cyrus illa praesidia ex suo exercitu electa reliquerit. Duces quoque eius Persicas custodias instituerunt. (Cyrup. VII, 4,10.) Quarum duci num equites quoque subditi fuerint, e nostro loco non cognoscimus.

Quibus rebus consideratis lux affertur obscuro Oeconomici loco. Verba capitis IV (§ 6) *τῶν ἄλλων, οἷς ὡπλίσθαι προστέτακται* ad praesidia urbana referenda esse intelleximus. Seiuncta erant hac significatione a mercenariis, qui ex populis subiectis comparabantur, cum illa ex Persis eorumque sociis essent electa.

Omnia adhuc recte explicata sunt, si cum his consentiunt ea, quae Cyrus ipse Babylone instituit. Nam huius institutiones satrapis imitandas fuisse Xenophon dicit. Videamus igitur, quales copias rex Babylone habuerit.

Ac primum quidem magnum militum hastatorum numerum ex Persis elegit ad ipsum regem et domum regiam custodiendam. (Cyr. VII, 5, 68.)

Deinde instituit *ἐν Βαβυλῶνι φρουροὺς ἱκανούς* (§ 69), qui quales fuerint ex Cyr. VIII, 3 comperimus. Ibi enim describitur, *ὡς τὸ πρῶτον ἐξήλασε Κῦρος ἐκ τῶν βασιλείων.* Cui pompae etiam copiae Babylonis urbis intersunt, quarum enumerantur in § 6 *δορυφόροι, ἱππεῖς, ἅρματα* atque eadem §§ 9 s. Hastatos esse eosdem, quos Cyrum instituisse legimus Cyr. VII,

5,68, et per se et ex eorum numero patet. Equites igitur esse praesidia Cyr. VII, 5,69 designata nemo non videbit, quod de aliis copiis supra non est dictum. Itaque praeter hastatos Cyrum exornasse copias equestres elucet, quam institutionem satrapis imitandam proponit Cyr. VIII, 6,10. Cyri quoque equites ex Persis atque sociis eorum conscriptos esse apparet ex VIII, 3,10 ss. Quo loco cum socii Persarum nominentur Medi, Armenii, Cadusii, Hyrcanii, Sacae (§ 18), ex eisdem satrapis esse eligendos equites censebimus.

Cetera, quae Xenophon enumerat satraparum officia, mittamus, cum parvi sint momenti.

Gravius autem est, quod in § 16 institutum affert a Cyro procreatum. Scriptum videmus hoc: *ἐφοδεΐει (γὰρ) ἀνὴρ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀεὶ στράτευμα ἔχων, ὡς ἤν μέν τις τῶν σατραπῶν ἐπικουρίας δέηται, ἐπικουρῇ, ἤν δέ τις ὑβρίζῃ, σωφρονίζῃ, ἤν δέ τις ἢ δασμῶν φορᾶς ἀμελῇ ἢ τῶν ἐνοίκων φυλακῆς ἢ ὅπως ἡ γῆ ἐνεργὸς ᾖ ἢ ἄλλο τι τῶν τεταγμένων παραλίπῃ, ταῦτα πάντα κατευτρεπίζῃ, ἢν δὲ μὴ δύνηται, βασιλεῖ ἀπαγγέλλῃ.* Dux igitur quidam provincias obit, ut satrapas ex hostium impetu laborantes copiis adiuvet, superbia sese efferentes coerceat, munera neglegentes ad officium redigat. Disputandum iam est qui fuerint hi duces. Neque enim unum solum ducem in tanto provinciarum numero designatum esse patet.

Non fuerunt illi praesidiorum urbanorum duces quod, hi *ἐφοδεύειν* non poterant.

Nec minus sunt illi *πιστοί*, qui in Oec. IV. 5ss commemorantur, quamquam nonnulla officia cum his consentiunt. Tamen illi sine dubio non praeerant exercitui, quod in his est urgendum.

Soli igitur in censum veniunt imperatores copiarum extra urbem collocatarum, quorum munera cum huius viri officiis comparemus. Utrique a rege erat mandatum, ut prohiberet, ne satrapae a rege deficerent, vel ut seditiosos opprimerent. Imperator non sub satrapae imperio, sed sub rege est, hic vir *ἀποτρέπεται, ὁπόθεν ἂν βασιλεὺς κελεύῃ.* (§ 16.) Uterque provinciam ab hostibus defendit, uterque satrapam inspicit neglegentemque apud regem accusat. Longum est singula tractare. Hoc luce clarius esse mihi videtur Xenophontem in § 16 id adicere, quod in antecedentibus desideravimus: descriptionem muneris chiliarchi, quem in § 1 commemoravit.

Itaque ex hoc Cyrupaediae loco supplere possumus, quod adhuc de illo imperatore didicimus. — Primum igitur munus eius annuum fuit. Quare explicatur illud, quod satrapae quidem

a regis amicis inspiciebantur quotannis, non autem imperatores (cf. p. 15).

Deinde ἐφοδεύει imperator. Hac voce non suum cuique provinciae ducem fuisse significatur, sed unum designatum esse compluribus provinciis tuendis. Exercitus, cui praeerat imperator, a satrapis conscribebatur ex populis subactis. Itaque ille eas provincias sine dubio defendebat et inspiciebat, ex quarum copiis exercitus eius constabat. Quacum re aperte cohaeret, quod hae copiae in syllogo quodam colligebantur. His igitur in castris stativis dux imperium copiarum cepit atque inde provincias obibat.

Quaerendum nunc est, quae ratio intercesserit inter hos imperatores et custodiarum urbanarum duces. Hos quoque sub ipsius regis imperio fuisse Xenophon dicit in Cyr. VIII, 6, 1. Ab imperatorum copiis praeterea urbium praesidia plane seiunguntur, quod quidem fieri non potuit, si fuissent pars exercitus eius. Itaque ducis urbani munus secundum Xenophontem singulare fuisse neque imperatori neque satrapae subiectum censere oportet. cf. VIII, 6, 9.

Ab huius copiis separantur equites. quos satrapis exornandos fuisse Xenophon in § 10 narrat. Hi quoque *αἱ ὑπὸ βασιλεῖ φυλακαὶ* nominantur (§ 14). Quis eis praefuerit, ex nostro loco non apparet. Hos ego quidem satraparum dictis audientes fuisse conicio. Primum enim huic sine dubio ad exsequenda sua munera opus erat militibus, quos ei subditos fuisse apud Xenophontem nusquam memoriae est traditum. Deinde ad possessionem privatam defendendam eis subfuisse milites ac praesertim equites exemplis discemus.

Restat, ut breviter quae de satrapis atque imperatoribus enucleavimus, complectamur.

Ac primum de s a t r a p i s dicamus. Sic igitur appellabantur Xenophontis aetate, — de hac enim valet, quod ex scriptis eius collegimus, — ei magistratus non annui, qui summam administrationem provinciarum tenebant. Omnia munera praeter imperium gerebant. Copias tamen et urbium et terrae instruere atque alere iussi erant. Praeterea tributa ad regem mittenda exigebant. Agriculturae provinciae ut consulerent imprimis eis mandatum erat.[12]) Quod propositum ut perse-

---

[12]) Advocetur hoc loco in censum epistula quaedam Darei servata in titulo, qui exstat in annalium, qui dicuntur Bulletin de la corresp. hell., t. XIII. p. 529 ss. Accuratissime eum explicaverunt quidque ex eo sit concludendum statuerunt G. Cousin et G. Deschamps. Hi tamen in dubio relinquunt, quid munus fuerit Gadatae, ad quem illa epistula

qui possent, ab imperatoribus poscebant, ut pacem satrapis praeberent. Quotannis inspiciebantur a missis regiis. In ipsis provinciis eis a rege dono dabatur possessio quaedam hereditaria.

Quorum cum munere non modo non coniunctum, immo vero ei oppositum erat imperium exercitus, quod qui tenent in sequentibus imperatores nominari liceat, ut distinguantur hac voce a ceteris ducibus.

Imperatores quotannis[13]) nominati exercitui praeerant, qui ex copiis variarum gentium plerumque constitisse videtur. Hoc exercitu ab hostibus eas gentes liberabant, ex quibus hic comparatus erat. Quibus imperatoribus institutis rex satrapis in ipsis provinciis adversarios procreavit, qui ineuntem seditionem facile opprimere possent. Iidem, cum ipsorum exercitus satrapis alendus esset eos, ut hoc officium exsequerentur, observabant.

Prudentissime igitur separatione horum munerum provisum erat, ut ipsum regnum Persarum longe propagatum tutum esset a satrapis rebellantibus et ut alterum munus ab altero inspiceretur. Quae commoda reges sustulissent, si haec munera cumulassent in unum virum! Itaque reges, qui potentiam satraparum non imperio instructorum satis timebant, graviter cavisse elucet, ne eorum potestatem augerent imperio addito. Deinde hoc etiam prohibebatur eo, quod plerumque regiones a satrapis administratae non conveniebant cum eis, quae imperatoribus erant defendendae. — Tamen eum, qui satrapa fuerit, deposito hoc magistratu imperium deinde suscipere potuisse apparet.

Haec erat condicio utriusque muneris Xenophontis aetate, quam tamen in universum eandem fuisse antecedentibus temporibus conicere possumus. Itaque tali ratione renovatam fuisse provinciarum administrationem a Dareo putabimus.

Verbis Her. III, 89: *ἀρχὰς κατεστήσατο (εἴκοσι) τὰς αὐτοὶ καλέουσι σατραπηίας· καταστήσας δὲ τὰς ἀρχὰς καὶ ἄρχοντας ἐπιστήσας ἐτάξατο φόρους οἱ προσιέναι,* si ex conexu sententiarum eripiuntur, significari videtur Dareum satrapias omnino instituisse. Sed, etiamsi illi *νομοί*, quos in cap. 90—94 enumerat, satrapiae essent, fines earum tantum a rege mutati

---

est scripta. Sed cum inter eius munera discamus tributa imponendi et agriculturae providendi, vix erramus, si satrapam eum habemus. Illam epistulam Darei provocatam esse conicio anniversaria relatione de Gadata regi allata a missis regiis, de quibus Xenophon agit Oec. IV, 6 ss.

[13]) Si longinquis bellis implicabantur, eos interdum diutius uno anno imperium tenuisse est consentaneum.

essent. Nam antea iam illas gentes imperio Persarum subiectas fuisse eo apparet, quod in fine huius capitis aperte Dareum tributa certa eis imposuisse narratur, cum antea dona misissent. Idem adhiberi licet de magistratibus satrapiarum, quorum munera mutasse Dareum censebimus, non procreasse. Accedebat nimirum ad pristina officia tributorum exactio. Quacum opinione condgruit, quod Herodotus administratores ante Darei tempus eadem significatione nominat atque posteros, dico ὑπάρχους. Itaque conici licet hac ex re satraparum quoque nomen eis antea fuisse, quae coniectura egregie comprobatur inscriptione illa clarissima, quae ex oppido Behistun nomen traxit. In ea bella praesertim afferuntur, quae Dareus feliciter gessit. Itaque, cum his peractis demum administrationem imperii eum in ordinem redegisse pateat, descriptio illa bellorum quadrat ad priorem regni statum. In hoc igitur titulo Dadarsim, Bactriae administratorem, missum esse a Dareo contra Margianorum gentem legimus, (Weissbach-Bang, Die altpersischen Keilinschriften, 1893. § 38.). Ille vir autem appellatur „khshatrapava“, ex qua voce Graecum illud „satrapa“ exortum est. Item paulo infra Arachosiae satrapa nominatur. (§ 44.)

Iisdem locis diiudicatur quaestio, utrum proprii imperatores tum fuerint an imperium coniunctum cum administratione provinciarum habuerint. Illi enim satrapae aperte exercitui quoque praesunt. Bactriam qui gubernat, cum exercitu proficiscitur contra regionem, quae a rege desciverat. Altero loco hostes aggrediuntur Vivanam satrapam Arachosiae eiusque exercitum.

Quae cum ita sint, ante Dareum imperium praecipuum satrapae munus fuisse facile cognoscemus. Quod ipso quoque nomine significatur. Nam si fides est habenda explicationi huius vocis, quam afferunt Kossowicz (Inscriptiones Palaeo-Persicae Achaemenidarum. 1872. Glossarium. p. 19) et Spiegel (Altpersische Keilinschriften p. 215), composita est ea ex khshatrâ = imperium et pâ = custodire, ita ut satrapa sit is, qui provinciam defendit.

Quorum satraparum a munere Dareus, cum tributorum exactionem iisdem tribueret, imperium dempsit aliisque viris mandavit, ne satraparum officia nimis amplificaret. Quorum nomen quamquam in vetustioris temporis administratores quadrat, non in recentioris, non tamen est, cur offendamur, quod a Dareo conservatum est.

§ 2.

Exempla satraparum et imperatorum ab historicis allata.

Cyrus victo Croeso Tabalum Persam designavit, qui regnum eius administraret. Quod. Her. I, 153 his verbis memoriae tradit: *μετὰ ταῦτα ἐπιτρέψας τὰς (μὲν) Σάρδις Ταβάλῳ ἀνδρὶ Πέρσῃ . . ., ἀπήλαυνε αὐτὸς ἐς Ἀγβάτανα.* Non urbem solam, sed totam terram, cuius caput erant Sardes, ei gubernandam datam esse apparet. Utitur enim Herodotus hoc dicendi genere omnibus fere locis, quibus de eadem terra verba facit. Ita satrapas *ὑπάρχους Σαρδέων* nominare solet. Ille igitur Tabalus copiis quoque praeerat, et quas Cyrus ad tuendam terram reliquerat et quas ex ipsa provincia conscripserat. Ad has nimirum quadrant verba Her. I 154: *τοὺς Λυδοὺς ἀπέστησε ὁ Πακτύης ἀπό τε Ταβάλου καὶ Κύρου.*

Eundem locum Lenschau l. l. p. 138 affert, ut munera satrapae et imperatoris seiuncta fuisse hoc tempore probet. Imperium tenuisse Tabalum, Pactyam, qui eodem loco nominatur, administrationem gessisse putat. Quam ad sententiam inducitur his Herdoti verbis: *τὸν δὲ χρυσὸν τόν τε Κροίσου καὶ τῶν ἄλλων Λυδῶν Πακτύῃ ἀνδρὶ Λυδῷ κομίζειν* (sc. *ἐπιτρέψας.*), quibus verbis Pactyam administratorem gazae regiae significari. Sequitur Lenschau hac in re Steinii opinionem, qui in editione Herodoti ad. h. l. contendit verbum *κομίζειν* vim non habere „asportandi", quod Cyrus hoc ad negotium non Lydum, sed Persam elegisset. Ad gravius autem munus administrandi illam gazam Lydum designasset! Voci *κομίζειν* his ex causis deferendi significatio inesse debet. Primum administrandi significatio voce *κομίζειν* addita supervacanea esset, quae iam voce *ἐπιτρέψας* continetur. cf. supra *τὰς Σάρδις ἐπιτρέπειν* et idem I, 155. Similiter *ἐπιτρέπειν* saepissime adhibetur. — Tum *κομίζειν* apud Herodotum nunquam id valet, quod Stein vult, sed semper deferendi vim habet. cf. IV, 71; V, 82, 114. — Denique satis esset mirum, si Cyrus gazam regiam Croesi in urbe capta reliquisset.

Itaque Pactyam Lydum quendam ad deferendam Croesi gazam designatum esse apparet. Quacum sententia congruunt verba I, 154: *τοὺς Λυδοὺς ἀπέστησε ὁ Πακτύης-καταβὰς (δὲ) ἐπὶ θάλασσαν, ἅτε τὸν χρυσὸν ἔχων πάντα τὸν ἐκ τῶν Σαρδέων.*[14])

[14]) Cum neutra autem opinione consentiunt verba I, 155: *Πακτύης . . . ., τῷ σὺ ἐπέτρεψας Σάρδις.* Quae cum plane adversentur § 153, hunc locum depravatum esse elucet. Facile illis verbis deletis sanatur sententia.

Nullum igitur hoc loco vestigium exstat munerum illorum separatorum.

Idem fere valet de Oroetis exemplo ab Herodoto II, 120 allato. Hic a Cyro *ὕπαρχος Σαρδίων* nominatus erat, quo in magistratu si non succedebat Tabalo, tamen unus ex successoribus eius erat. Tanta potentia in eo inest, ut Dareus, cum multorum facinorum ab eo commissorum rationem reposcere velit ab eo, vereatur, ne armis ipsum aggrediatur. cf. III, 127. Praeter mille Persas hastatos copias habet Phrygiae, Lydiae, Ioniae. Itaque imperium quoque tenebat.[15])

Bagaeus autem, quem Cyrus ad Oroetem interficiendum mittit, Persa nobilis nullo munere instructus nisi Oroetis removendi. Quo necato num satrapiam eius obtinuerit nescimus. cf. Krumbholz l. l. p. 18. Lenschau p. 149.

Aryandem quoque, de quo Her. IV, 166 agitur, ante Darei aetatem satrapam esse institutum cognosceremus, etiamsi non legeremus de eo: *ὁ δὲ Ἀρυάνδης ἦν οὗτος τῆς Αἰγύπτου ὕπαρχος ὑπὸ Καμβύσεω κατεστεῶς.* Is enim Pheretimae, matri Arcesilai, de quo Herodotus verba facit in cap. 162—165, tradit *στρατὸν τὸν ἐξ Αἰγύπτου ἅπαντα.* Quo demonstratur eum imperium huius exercitus tenuisse. Hic quoque ut Oroetes a Dareo interemptus est.

Accessimus ad illud tempus, quo Persarum rem publicam Dareus constituit. Itaque inde ab hoc tempore singulare imperatoris munus in satrapiis inveniemus et satrapas tributa exigentes.

Talis Tritantaichmes est, qui secundum Her. I, 192 Babyloniam tenet provinciam. Nam id ex his praecipue verbis discimus: *Τριτανταίχμῃ . . . ἀργυρίου (μὲν) προσήιε ἑκάστης ἡμέρης ἀρτάβη μέστη,* quae dilucide spectant ad tributum ei solvendum. Itaque hoc loco, quo de Cyri expugnatione Babylonis urbis sermo est, exemplum magnitudinis huius urbis e recentiore tempore petit Herodotus, cui opinioni haec quoque verba testimonio sunt: *τὴν δὲ δύναμιν δηλώσω, ὅση τις ἐστίν,* et *ἡ ἀρχὴ τῆς χώρης ταύτης . . . . ἐστὶ . . . . κρατίστη.* Denique idem certe est hic Tritantaichmes, Artabazi filius, atque Tritantaichmes, Artani filius, qui Her. VII, 82 inter duces Xerxis exercitus enumeratur. Quod ibi satrapa, hic dux affertur, non offendit, cum alterum munus obtinuerit sine dubio post alterum.

---

[15]) Idem conici licet de Mitrobate, qui Her. III, 120 *νομοῦ ἄρχων τοῦ ἐν Δασκυλείῳ* nominatur.

Primus, quem in Asia minore post Darei institutionem imperatorum invenimus satrapam, Artaphernes est, Darei frater, qui ab eo *ὕπαρχος Σαρδέων* factus est (Her. V, 25.) Non idem munus significatum esse atque Oroetis, de quo eadem verba Herodotus adhibet III, 120, sequentibus verbis demonstratur: *Ὀτάνεα δὲ ἀποδέξας στρατηγὸν εἶναι τῶν παραθαλασσίων ἀνδρῶν.* Imperator igitur Otanes nominatur copiarum, quae ex terris ad mare Aegaeum sitis conscriptae erant a satrapis earum.

Tamen Artaphernes, si quidem eodem tempore atque Otanes ad suscipiendam administrationem designatus est teste Herodoto, non primus fuit Asiae minoris satrapa novi Darei ordinis. Ut enim Otanes secundum Her. V, 26 Megabazum, ita illum subsecutum esse alium quendam satrapam apparet, qui inter Oroetem et eum administrationem tenuit.

Artaphernem imperatoris quoque munere aliquod tempus Lenschau p. 142, semper functum esse putat Krumbholz p. 19 ss. Praecipuo argumento Lenschau nititur Her. V, 123, quo exstat: *Ἀρταφέρνης (δὲ) ὁ Σαρδέων ὕπαρχος καὶ Ὀτάνης ὁ τρίτος στρατηγὸς ἐτάχθησαν ἐπὶ τὴν Ἰωνίην καὶ τὴν προσθεχέα Αἰολίδα στρατεύεσθαι.* Quod discrimen cum summi sit momenti, paulo uberius de eo agam.

Munera satrapae et imperatoris cum opposita inter se essent, non nisi gravissima de causa coniuncta esse elucet. Quod si accidisset, imperator singularis omnino non designatus esset. Sed cum illo loco Otanes imperator nominatus sit, quomodo iuxta eum Artaphernes et qua de causa imperator factus sit, nemo intelleget, qui huius muneris naturam perspexerit. Videamus autem, qui potuerit alio modo Artaphernes cum Otane *στρατεύεσθαι.* Teste Herodoto Artaphernes *στρατιήν τε πολλὴν καὶ πολλὰς νέας* habebat. (V, 30). Non sunt hae Otanis copiae. Qua potentia cum Artaphernes floreret, Aristagoras, Mileti administrator, ei persuasit, ut Naxo insula potiretur. Satrapa, cum haec expeditio ei a rege esset permissa, non Otanis copiis ad eam utitur, sed *παρεσκευάσατο μὲν διηκοσίας τριήρεας, πολλὸν δὲ κάρτα ὅμιλον Περσέων τε καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων, στρατηγὸν δέ τούτων ἀπέδεξε Μεγαβάτην.* (V, 32.) Memorabilia sunt verba *Περσέων-συμμάχων*, quibus copiae eius aperte distinguuntur ab Otanis exercitu, qui ex copiis populorum subactorum praesertim constabat. Respondent autem illa verba ei Xenophontis loco, quo de copiis satraparum verba facit. (Cyrup. VIII, 6, 10.) Itaque praeter ipsa urbium praesidia et exercitum imperatoris milites quidam fuisse videntur satrapae dicto audientes.

Quos ad milites spectare verisimile est, quod Artapherni cum Otane contra urbes Ionicas bellum gerere mandatur. Itaque ut in expeditione illa contra Naxum suscepta ita tum Artaphernem copiis suis ducem praeposuisse coniciemus, qui hoc in bello sub summo Otanis imperio erat. Cuius opinionis testis gravissimus videtur esse Herodotus, qui commemorat VI, 28 Harpagum, *στρατηγὸν στρατιῆς οὐκ ὀλίγης*. Qui cum Histiaeum cepisset, eum Sardes adduxit, ubi Artaphernes et Harpagus eum cruci affixerunt. Hoc quidem nihil habet miri, si Harpagum habemus ducem ab Artapherne missum, cum idem omnino intellegi non posset, si Harpagus parti exercitus Otanis praefuisset.

Sed hac quoque de causa Herodotus illa verba de Artapherne adhibere poterat, quod huius erat alere Otanis exercitum, cum in ipsius provincia gereretur bellum.

Falso igitur ex Herodoti verbis Artaphernem fuisse imperatorem iuxta Otanem colligitur.

Sed satis de Artapherne; iam transeamus ad Otanem.

Otanes igitur non primus Asiae minoris imperator erat, cum secundum Her. V, 26 esset *διάδοχος Μεγαβάζῳ τῆς στρατηγίης*. Hic Megabazus in Darei exercitu erat, quo Scythas rex in potestatem suam redigere volebat IV, 143. Quem Dareus cum hac expeditione irrita facta in Asiam reverteretur cum exercitus parte in Europa reliquit. Hanc partem fuisse eam nemo non videt, cui ille imperator Asiae inferioris praefectus erat. Continebat igitur Megabazi exercitus octoginta milia militum[16]).

Huius successor erat Otanes, cui quae gentes fuerint defendendae, nunc breviter est disputandum.

Dubitari vix potest, quin *οἱ παραθαλάσσιοι ἄνδρες,* quorum imperator Otanes est (V, 25), eidem sint atque *οἱ ἐπιθαλάσσιοι,* quorum administrationem Artaphernes gerit. (V, 30.) Hic autem Croesi regnum in satrapiam immutatum obtinet. Itaque Otanes ei exercitui praeest, quem ille ex singulis provinciae suae partibus contraxit. Cui exercitui eas quoque copias additas esse, quae satrapae Dascylii provinciae ad Hellespontum sitae instruendae erant, et per se patet, cum singularem earum imperatorem fuisse minime sit credibile, et eo confirmatur, quod Otanes in finibus huius satrapiae bella gerit. (Her. V, 26.)

---

[16]) Paulo inferiorem militum numerum obtinuerunt Cyrus et Tissaphernes, qui eiusdem regionis fuerunt imperatores Cyrus enim teste Diodoro (XIV, 19) septuaginta, Tissaphernes sexaginta milia militum habuit eodem teste (XIV, 80).

Quarum regionum Otanem solum tenuisse imperium ex Her. V, 25 nemo non intelleget. Tamen alios huius muneris participes fuisse ex Her. V, 123 colligit Lenschau p. 142, cuius loci verba *Ὀτάνης ὁ τρίτος στρατηγὸς* iure refert ad Her. V, 116, ubi codices praebent: *Δαυρίσης . . . καὶ Ὑμαίης τε καὶ Ὀτάνης [καὶ] ἄλλοι Πέρσαι στρατηγοί.* In codicibus melioribus deest illud *καί.* Verbis, quae sequuntur *ἔχοντες καὶ οὗτοι Δαρείου θυγατέρας* demonstratur appositionem, quam dicunt, esse *ἄλλοι στρατηγοὶ* ad *Ὑμαίης τε καὶ Ὀτάνης.* Tum autem secundum haec verba tres illi viri non soli duces exercitus erant. Hanc autem sententiam desiderari hoc loco putat Lenschau, quare ad *ἄλλοι στρατηγοὶ* addit *οἱ* (p. 139, adnot 3.) Qua tamen voce addita non corruptum locum sanat, sed sanum plane corrumpit. Accuratius hanc rem examinemus.

Cum Iones Sardes urbem praeter arcem expugnatam delevissent, *τότε (δὲ) οἱ Πέρσαι οἱ ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ νομοὺς ἔχοντες . . . ἐβοήθεον τοῖσι Λυδοῖσι.* Copiae igitur quaedam cis Halym flumen collocatae contra Ionas properant, quos persecutae apud Ephesum fugant multosque eorum occidunt (Her. V, 102), Videamus, quae fuerint hae copiae. Scimus autem imperatoris imprimis fuisse, provinciam tueri ab hostibus. Itaque illas fuisse huius exercitum coniciemus. Quae sententia confirmatur verbis Her. V. 116 de tribus illis ducibus adhibitis *ἐπιδιώξαντες τοὺς ἐς Σάρδις στρατευσαμένους Ἰώνων,* quae aperte spectant ad V, 102.

Cuius exercitus cum Otanes solus imperator nominatus sit Her. V, 25, Daurisem et Hymeam duces ei subditos habebimus, quos Herodotus neglegenter pari atque illum potestate affert. Quod cur fecerit, facile intellegitur.

Iones in suas sese receperant urbes, quas Persae non contenti eos fugisse adoriuntur. Simul Ionum seditio causam eis praebebat alias quoque Graecorum urbes aggredi. Quod ut fieri posset, exercitum dividi oportebat atque his partibus a summo imperatore duces praeponi, qui eas eius loco regerent. Maximam copiarum partem nimirum ipse imperator obtinuit, quippe qui gravissimam expeditionem exsequeretur. Daurises igitur et Hymeas soli sunt vicarii Otanis in expeditionibus, ad quas ab eo mittuntur (cf. Her. V, 117 et 122). Otanes ipse cum electa exercitus parte Artaphernis copiis adiutus contra ipsos Iones proficiscitur (V, 123). Quam opinionem esse rectam, comprobatur verbis V, 121: *(οἱ Κᾶρες) ἐλόχησαν τὴν ἐν Πηδάσῳ ὁδόν, ἐς τὴν ἐμπεσόντες οἱ Πέρσαι . . . διεφθάρησαν καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ στρατηγοὶ αὐτῶν, Δαυρίσης καὶ Ἀμόργης καὶ*

Σισεμάκης. Hoc loco tres duces afferuntur, quorum Daurisem solum illi expeditioni praefectum esse scimus (V, 117.) Ut alii duo Daurisi subditi sunt, quamquam iuxta eum nominantur, ita Daurises et Hymeas Otani (V, 116.) Quod Lenschau hos tres pari imperio, Amorgem autem et Sisimacem sub iussu Daurisis esse censet, hoc ex suo tantum fecit arbitrio. Immo vero Daurises primus inter pares est, cum Otanes duobus aliis ducibus praepositus sit imperator. Quem verum rerum conexum Herodotus non satis perspicue expressit. Verbis ergo *ὁ τρίτος στρατηγὸς* Otanes cum tertia exercitus parte proficiscens significatur. Postea singulae manus iterum exercitui inseruntur, quare proprium eorum ducum imperium finitur (VI, 6.) Pro ducibus enim ab hostibus interfectis alii sine dubio ab Otane nominati erant.[17]) Verba Her. VI. 43: *ἅμα δὲ τῷ ἔαρι τῶν ἄλλων καταλελυμένων στρατηγῶν* iterum ad Otanem imperatorem et duces eius spectant, non ad Artaphernem et ad Otanem, ut vult Lenschau (p. 144 adnot 3.) Si fides eis verbis est habenda, una cum imperatore duces ei obnoxii dimittebantur et novi cum novo imperatore nominabantur.

Perperam igitur tres tum fuisse imperatores Lenschau contendit. Ne unum quidem exemplum inveniemus, quo complures eiusdem exercitus imperatores fuisse demonstretur.

Priusquam ad ceteros satrapas recensendos revertamur, nonnulla faciemus verba de Otanis successoribus.

Quo dimisso imperium obtinet Mardonius, de quo Herodotus haec tradit: *Μαρδόνιος . . . κατέβαινε ἐπὶ θάλασσαν, στρατὸν πολλὸν (μὲν) κάρτα πεζὸν ἅμα ἀγόμενος*. Quod praeter Asiae minoris copias hic aperte alias secum adductas habet, explicatur magna illa expeditione, quam in Graeciam suscepturus est. Alterius igitur imperatoris exercitum congregatum esse cum Mardonii censebimus.

Hunc primum caranum fuisse Lenschau p. 142 contendit. Quo nomine eum nominat imperatorem, qui „tota quadam regni parte bellum administrabat." Unde hanc definitionem satis miram sumpserit, ignoro, cum certe ad eam proponendam is locus ansam non dederit, quo solo caranus quidam nominatur. In Xen. Hell. I, 4, 3 enim de Cyro haec legimus: *καταπέμπω Κῦρον κάρανον τῶν εἰς Καστωλὸν ἀθροιζομένων*. Copiae autem in Castolio collectae syllogo eaedem erant, quae ex gentibus ad mare sitis conscribebantur. Si imperatori earum carani nomen

[17]) Lenschau p. 140 in eorum locum Artaphernem missum esse conicit. Sed hic Otanis expeditioni tribuitur, non eis, quarum duces occisi erant.

fuisset, omnes ita appellati essent, qui unquam eisdem praefuissent. Megabazo igitur et Otani idem nomen fuisset tribuendum. Sed errorem Xenophontis exstare illo loco infra erit exponendum. Definitio autem, quam Lenschau affert, nullo modo ex eis derivari potest.

Cum Mardonius infecta re redisset in Asiam, rex *ἄλλους (δὲ) στρατηγοὺς ἀποδέξας ἀπέστειλε ἐπί τε Ἐρέτριαν καὶ Ἀθήνας Δᾶτίν τε ... καὶ Ἀρταφρένεα* (VI, 94). Quo ex testimonio duos Mardonii successores pari imperio fuisse a viris doctis colligitur. Sed primum abhorrere videtur ab eximia Darei prudentia hunc in modum dividere summum imperium atque hac re debilitare. Deinde nullum huius divisionis adhuc invenimus vestigium. Reperimus autem duces ab Herodoto pari imperio allatos, quorum unum tantum praefecturam belli tenuisse intelleximus. Quae cum ita sint, ducum illorum alterum fuisse subditum alteri coniciemus. Atque Datim quidem imperatorem fuisse, ex eo concludi licet, quod cur Artaphernem singularem iuxta illum Herodotus nominaverit, ex affinitate explicari potest, qua Artaphernes coniunctus erat cum rege Persarum. Quae coniectura per se satis incerta firmatur sequentibus Herodoti nuntiis. Ita in cap. 97 sq. Datis solus imperator exercitus nominatur atque idem in cap. 118. Quod ex his locis cognoscitur, expressis verbis testatur Diodorus, qui XI, 2, 2 Datim solum illius expeditionis imperatorem affert.[18]) Itaque Herodoti testimonium ut antecedentia non satis accuratum esse censebimus.

Sed redeat, unde deflexit oratio. Posteris temporibus in consuetudinem venisse Lenschau aliique viri docti putant imperium quoque attributum esse satrapis. His autem ipsis temporibus Xenophon haec munera cognovit, cum versaretur in Asia minore, atque quod cognoverat, in Oeconomici et Cyrupaediae locis supra pertractatis memoriae tradidit. Qui potuit ea munera opposita inter se fuisse narrare, si coniuncta esse solerent? Immo vero gravissima mutatio fuisset haec munerum congregatio, cum in separandis his magistratibus omnia posuisset Dareus. Videmus, num ut talem admittamus exceptionem exemplis cogamur.

Primus satrapa belli praefectura praeditus omnium virorum doctorum consensu fuit Tissaphernes.

---

[18]) De Artaphernis munere fortasse ex Pausaniae verbis I, 32, 7: *ὑπὲρ δὲ τὴν* (scil. *ἐν τῷ Μαραθῶνι*) *λίμνην φάτναι εἰσὶ λίθου τῶν ἵππων τῶν Ἀρταφέρνους* conici licet eum equitibus Persicis praefuisse.

Satrapa enim fuit hic teste Ctesia. (Pers. fragm. 52.) Qui contra Pissuthnem satrapam, cum a rege descivisset, missos esse narrat Tissaphernem, Spithradatem, Parmisem[19]). Devicto Pissuthne eius provinciam a rege accepit Tissaphernes. Quo magistratu suscepto si antea fuisset imperator, non diutius eum tenere imperium putare necesse esset. Satrapa fuit usque ad illud tempus, quo Cyrus a fratre missus est in eius provinciam, i. e. a. 408/407.

Difficultas autem exoritur, quod Thucydides Tissaphernem appellat *στρατηγὸν τῶν κάτω*. (VIII, 5, 4). Quibus verbis singulare eius munus significatum esse apparet, quare et imperium et administrationem eum gessisse viri docti censent. Hoc autem tum demum credi oportet, cum ab uno scriptore in rebus Persicis optime versato hoc traderetur. Itaque propter illorum munerum distantiam putare licet aut Ctesiam aut Thucydidem erravisse hac in re. Ctesiam autem de institutionibus Persicis melius esse instructum nemo negabit, quippe qui tam diu ibi versatus ipse eas cognovisset. Deinde Ctesiae maiorem fidem tribuemus, si hoc consideraverimus. Putabimusne Persarum regem Tissapherni praeter administrationem belli quoque praefecturam concessisse, cum Pissuthnes, qui solam satrapiam obtinuerat, hac potentia elatus a rege defecisset? Denique ipsis Thucydidis testimoniis narratio eius de munere Tissaphernis refutatur. In VIII, 5 hic auxilium petit a Lacedaemoniis, quod tributa ab urbibus Ionicis nondum soluta propter Atheniensium copias eas adiuvantes exigere non possit. Quo loco Tissaphernem satrapam fuisse cogitur, quare, cum de hoc munere Thucydides taceat, memoria eius non satis est accurata. Recordemur eam exstare in octavo libro, qui non ita ut ceteri est perpolitus. Quae cum ita sint, licet conici eum illa munera confudisse.

Tissaphernem enim, si ingentem Persarum exercitum habuisset, neque illa vectigalia exigere neque Amorgis seditionem, de qua eodem loco sermo est, opprimere potuisse nemo est quin credat. Idem Tissaphernes, cum post Cyrum mortuum re vera imperio uteretur, solus suis ipsius copiis Lacedaemoniorum exercitum multo maiorem quam Atheniensium aggreditur.

---

[19]) Hac in narratione offendimur, quod tres viri contra satrapam rebellantem mittuntur, cum opprimere talem seditionem unius sit imperatoris. Itaque non satis diligenter illud excerptum esse ex Ctesiae uberiore narratione a Photio coniciam. Tissaphernem una cum duobus aliis afferri puto, quod Pissuthnis erat successor. Reliquorum uter fuerit imperator, decertari nequit.

Una cum hoc Pharnabazus ut sese Lacedaemonii adiuvent rogavit. (Thuc. VIII, 6). Qual ishic fuerit, Thucydides omittit, sed scimus Dacylii satrapiam eum obtinuisse. Lacedaemonii de auxilio mittendo in duas discedunt partes, qua in controversia imperium Tissaphernis certe plurimum valuisset ad tollendam omnem dubitationem.

Quod omnino sub huius imperio sunt copiae, non alienum est a satrapa, sicuti vidimus. Exiguas enim eas fuisse cum multis aliis testimoniis tum eo demonstratur, quod exstat in capite 25. Athenienses 3500 milites ad Miletum urbem expugnandam miserant, quibus obviam veniunt una cum ipsis Milesiis Lacedaemonii et *Τισσαφέρνους τι ξενικὸν ἐπικουρικόν, καὶ αὐτὸς Τισσαφέρνης παρὼν καὶ ἡ ἵππος αὐτοῦ.* Praeter equites igitur, quos satrapae esse ex Xen. Cyr. VIII, 6, 10 coniecimus, nonnullos mercenarios Tissaphernes adduxit, quas copias non esse imperatoris exercitum luce est clarius.

Longum est omnes afferre locos, quibus idem apparet. Satis est dicere nullum locum huic sententiae adversari.

Tissaphernes igitur non erat imperator eo tempore, de quo Thucydides verba facit in libro octavo. Fungebatur autem hoc munere post annum 400, quare ad illum errorem Thucydides sine dubio commotus est.[20])

Sed dixerit quispiam desiderari hoc tempore omnino imperatorem eiusque exercitum, si Tissaphernem satrapam solum habemus. Atque hoc quidem recte sese habet, cum hic Lacedaemoniorum quidem auxilium non petiisset, si quis ad eum adiuvandum imperator adfuisset. Provinciae autem interdum privatae erant copiis, si rex ad maius quoddam bellum eas contraxerat. Itaque tale bellum gestum esse tum concludemus ex absentia exercitus. Quod plane comprobatur Xenophontis testimonio, quod est Hell. I, 2, 19: *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν οὗτος, ἐν ᾧ καὶ Μῆδοι ἀπὸ Δαρείου τοῦ Περσῶν βασιλέως ἀποστάντες πάλιν προσεχώρησαν αὐτῷ.* Haec igitur seditio aperte regi fuit causa ad omnes copias convocandas. Eadem opportunitate quin usi sint urbes Ionicae, ut ipsae quoque deficerent a rege, non est dubium. Finita Medorum seditione (409/408) iterum exercitum in Asia minore invenimus Cyrumque eius imperatorem.

Successit Tissapherni Cyrus, Darei regis atque Parysatidis filius. Consensu omnium scriptorum hic et Sardes provinciam,

---

[20]) Hoc si conceditur librum octavum post a. 400 compositum esse inde efficitur.

quae dicitur ab Herodoto, gubernabat et exercitui praefectus erat a rege. cf. Xen. Anab. I, 1, 2; I, 9, 7; Hell. I, 4, 3. Diod. XIV, 12, 8; 19, 2, Plut. Art. II. Praeterea etiam rebus a Cyro gestis, imprimis eius expeditione contra fratrem suscepta idem confirmatur. Tamen muneribus satrapae et imperatoris eum functum esse non satis accurate dicitur, cum ea per se coniungi non possent. Explicatur hoc discrimen Xenophontis loco, quem supra laudavi. Hell. I, 4, 3 Cyrum in regis epistola caranum militum in campo Castolio collectorum nominatum fuisse narratur. Quo ex loco imperatoris nomen Persicum fuisse caranum nemo non colliget. Ad hos autem, cum *δοῦλοι* essent magni regis,[21]) illa significatio certe non quadrat, quam *κύριον* Graece sonasse Xenophon adnotat. Itaque hic res confudit, ut solet. Videamus, quam vim habeat carani nomen. Aperte hae res inter se cohaerent, quod Cyrus solus et administrationem et imperium tenuit atque quod solus caranus appellatur. Ad totam igitur condicionem eius spectare hanc significationem consentaneum est, qua opponitur ceteris magistratibus. Singularis ergo carani potestas erat, qua qui utebatur et administrationem et praefecturam belli gerebat. Praeterea Cyrus non solum pristinum Croesi regnum obtinebat, sed etiam Dascylii satrapa ei subditus erat. cf. Xen. Hell. I, 4, 5 ss.

Adversari tamen huic opinioni videtur, quod Tissaphernes, qui Cyrum secutus est, eandem potentiam Xenophonte teste possidebat. De Tissapherne enim apud Xenophontem haec Clearchi verba legimus: *σὲ δὲ νῦν ὁρῶ τήν τε Κύρου δύναμιν καὶ χώραν ἔχοντα καὶ τὴν σαυτοῦ ἀρχὴν σώζοντα.* (An. II, 5, 11). Idem fere exstat An. II, 2, 29; Hell. III, 1, 3; III, 2, 13. Cum Xenophonte congruunt Plutarchi testimonia in vitis Agesilai et Lysandri servata, quorum fontem esse ipsum Xenophontem nemo ignorat. Quibus testimoniis nixi Tissaphernem quoque caranum declarant omnes viri docti. cf. Lenschau p. 144. Judeich, Kleinasiatische Studien p. 40 ss. Atque Xenophontem huius temporis optimum esse testem crederes. Ipse enim bellis a Lacedaemoniis contra Tissaphernem gestis interfuit atque qualis fuerit eius condicio facillime comperire potuit. Sed eum gravissime errasse in eis, quae de Tissapherne affert demonstrabo.

Nimia potentia, qua usus erat, Cyrus elatus fratri regni dignitatem adimere studuit nec multum afuit, quin ei hoc contigisset. Artaxerxes rex soli Cyri morti regnum conservatum

[21]) Ps. Arist. de mundo VI, p. 637. 34: *τὴν δὲ συμπασαν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας διειλήφεσαν καθ' ἔθνη στρατηγοὶ καὶ σατράπαι καὶ βασιλεῖς, δοῦλοι τοῦ μεγάλου βασιλέως* Inscr. Behist. §§ 25, 26. 29, 33, 41, 49.

debebat. Quae cum ita sint, quis est, qui credat eum subinde post Cyri mortem eandem potestatem, qua regno paene spoliatus erat, uni viro tribuisse?

Deinde haec potentiae cumulatio, quae in Cyro facilis erat ad comprehendendum, in Tissapherne satis esset mira. Cyrus enim, amor et deliciae Parysatidis, huius praesertim summa auctoritate et gratia caranus erat factus, ut omittam ipsius regis filium eum fuisse. Tissaphernes autem, qui non consanguinitate cum rege coniunctus erat, in vehementissimo odio erat Parysatidis, quae mortuo Cyro minime apud regem carebat auctoritate.

Quibus deliberationibus satis dubiam esse Xenophontis narrationem demonstratur. Suspicandum igitur esset secundum eas Artaxerxem statum restituisse, qui erat ante Cyrum minorem.

Atque hoc quidem Diodorus expressis verbis testatur, cum XIV, 26, 4 tradat: *(ὁ βασιλεὺς) ἔδωκε δ' αὐτῷ (καὶ) τὴν ἡγεμονίαν ὧν Κῦρος ἐπὶ θάλατταν ἦρχε σατραπειῶν.* Imperator autem obtinet *τὴν ἡγεμονίαν.* Tissaphernes igitur factus est *στρατηγὸς τῶν παραθαλασσίων ἀνδρῶν*, ut Herodotus V, 25 dicit de Otane. Alteram autem partem Cyri potentiae Pharnabazum accepisse non minus dilucide Diodorus narrat XIV, 35, 2: *Ἀρταξέρξης . . . ἀπεστάλκει Φαρνάβαζον παραληψόμενον πάσας τὰς ἐπὶ θαλάττῃ σατραπείας.* Pharnabazus igitur satrapa nominatus est atque eandem aperte obtinet potestatem atque Artaphernes, de quo Herodotus V, 25 dicit: *τῶν ἐπιθαλασσίων ἄρχει πάντων.* Quae testimonia eo pluris sunt aestimanda, quod desumpta esse ex Ephori historia constat inter omnes viros doctos. Nec Diodorum res confudisse, ut vult Dindorf, cum pro *Φαρνάβαζον* scribat *Τισσαφέρνην*, intellegitur ex sequentibus. Satrapae instituti a Cyro, dum ipse abesset, praeter Tamum ad Tissaphernem confugiunt atque se suaque ei commendant. Paulo autem supra eos summo affectos esse timore narratum est, cum novus appropinquaret satrapa. Quod si ad Tissaphernem pertineret, mirum esset, si illi ad hunc ipsum postea sese reciperent. Minime autem offendemus, si Diodori textus servatur. Satrapae igitur illi ad Tissaphernem fugiunt, quod haud ignorant eum esse Pharnabazi adversarium ac satis potentia valere, ut ipsos tueri possit. cf. Judeich l. l. p. 47. Quod rex his duobus viris, inter quos discordiam quandam esse certo sciebat, illa munera inter se opposita tradebat, prudentissimum erat, quod attinet ad ipsius securitatem.

Omnibus, quae adhuc protuli, argumentis Diodori testimonium confirmatur, cum Xenophontis non firmetur nisi auctori-

tate, quae scriptis eius attribui solet. Pro nihilo autem eam esse iudicandam ita demonstrabo, ut res gestas ab eo descriptas pertractans eius narrationem non ipsius de illis muneribus testimonium, sed Diodori comprobare explicem. Qua de re paulo uberius disputabo, quod primum quaestio de illis muneribus his considerationibus expeditur, deinde nonnulla neque exigua de Xenophontis fide historica afferuntur, denique res post Cyri mortem gestae Xenophontis indiligentia plane obscuratae multis locis illustrantur. Praemonendum autem est Pharnabazum, qui usque ad annum 400 Dascylii satrapa fuit (cf. Krumbholz, p. 45 ss.), a Xenophonte falso etiam post hunc annum eiusdem provinciae administratorem haberi.

Ac primum quidem de Anabasi est dicendum.

Graecis cum ex interiore Asia reversi Calpen in Bithyniae oppidum pervenissent, obviam venit Pharnabazus, qui incolis eius terrae auxilio properavit. (An. VI, 4, 24.) Permultum eius interest, ut Graeci relinquant Asiam, i. e. illam ipsius provinciae partem. (VII, 1, 2; 2, 7.) Duobus circiter mensibus post Graeci adhuc in Thracia versati in Asiam iterum transeunt ac prope Lampsacum urbem in terram egrediuntur. (VII, 6, 1; 8, 1.) Quare summum Dascylio satrapiae periculum imminebat. Sed cum antea Pharnabazus promptissimus ad provinciam suam defendendam fuerit, tum omnino non mentio eius fit. Graeci enim Lampsaco profecti Pergamum perveniunt non impediti ab hostibus. Cur Pharnabazus nullo modo eos arcere conatur? Qua eius absentia comprobatur Diodori narratio, qua Sardium satrapa nominatus est.

Atque alia quoque re idem affirmatur. Xenophon VII, 8, 9 verba facit de proeliis Graecorum commissis cum Asidate quodam, qui teste Xenophonte erat *ἀνὴρ Πέρσης*. Quem ut capiat, locum satis munit delecta exercitus Graeci manus oppugnat. Ille locus autem a permultis defenditur militibus atque ex oppidis prope sitis undique Asidati auxilio veniunt copiae Persarum, ita ut Graeci infecta re sese recipere cogantur. Postero die copiis omnibus Asidatem aggressi copias eius fundunt ipsumque comprehendunt. Quis fuerit hic Asidates ex Xenophontis narratione vix quisquam intelleget. Si autem cum Diodoro Pharnabazum paulo antea Dascylii satrapiae administrationem deposuisse putamus, Asidatem eius successorem habebimus. Qui quod Graecis non procul a finibus provinciae occurrit, deinde quod familiam thesaurosque secum habet, eum suscepturum tum fuisse magistratum inde elucet. Postea eius non mentio fit, quod captus est a Graecis.

Nunc animum ad Hellenica intendamus.

Lacedaemonii copias auxilio mittunt urbibus Graecis Asiae minoris, quae ne rex graviter in eas animadvertat timent, quippe quae Cyri expeditionis fuerint participes. Quarum copiarum prior dux est Thimbro, deinde Dercylidas eis praeponitur. (Xen. Hell. III, 1, 3 ss.) Sed priusquam Lacedaemonii in Asiam pervenerunt, Tissaphernes missus ad puniendas illas urbes Cymen obsidione clausit, hieme autem appropinquante ab hac urbe abscessit. Obsidione soluta Thimbro ad tuendas Graecorum urbes advenit. Magnesiam primo impetu expugnavit, Tralles frustra obsedit. Praeterea expeditionem feliciter confectam in hostium fines suscepit, ex qua Ephesum revertitur, cum Tissaphernes magnis cum copiis accurreret. Quod tum demum hic advenit, hac re Thimbronem non prohibitum esse quidquam suscipere explicatur. In illis bellis cum Thimbronis copiis coniuncta erat pars militum, qui ex Cyri expeditione reverterant. Thimbroni Ephesum reverso succedebat imperator Dercylidas. (Diod. XIV, 35 ss.) Qua cum narratione satis perspicua comparemus, quae affert Xenophon. Nam quamquam hae res per se alienae sunt ab ipso huius dissertationis argumento, tamen eas proposui, ut qualis sit Xenophontis ratio res gestas describendi paucis praemoneam. De Magnesiae atque Trallium obsidionibus nihil apud eum invenimus. Primum Thimbronem terram defendisse tantum narratur. (III, 1, 5.) Tamen cum Cyri milites Graeci ad exercitum eius accessissent, *ἐκ τούτου ἤδη καὶ ἐν τοῖς πεδίοις ἀντετάττετο τῷ Τισσαφέρνει.* (III, 1, 6). Si autem tum Thimbro obstitit Tissapherni, cur nihil de ullo proelio Xenophon narrat? Cuius rei causa intellegitur ex Diodoro: Tissaphernes eo tempore nondum aderat. Sequentia, quae Xenophon affert, prospere cesserunt, quod milites Cyrei cum Thimbrone erant coniuncti. Quocum fortasse cohaeret, quod de antecedentibus factis tacet scriptor, nisi forte eum omnino illa non comperisse putas. Inde igitur a § 6 nonnulla oppida sua sponte sese Thimbronis potestati subiecisse, alia vi subacta esse traditur, quorum tamen nullum nominatim Xenophon affert. Quae omnia cum sint prae factis antecedentibus levissima, brevissime Diodorus complexus est. (XIV, 30). Hac autem rerum diiudicatione verus scriptor historicus distinguitur ab eo, qui res describit, quod ipse eis interfuit.

Causam, cur Thimbro Ephesum redierit, Xenophon affert, quod Cariam aggredi ab ephoris iussus sit. Sed cum eo pervenerit atque Dercylidas ibi imperium susceperit, hic non in

Cariam, sed in regiones septentrionales iterum proficiscitur. Cur Dercylidas ephororum iussum non exsequitur? Veram causam reditus Thimbronis Diodorus tradidit. Itaque vereamur, ne eas, quas Xenophon affert, rectas esse censeamus, priusquam eas examinaverimus. Quod quam sit necessarium, sequentibus verbis demonstratur.

Teste enim Xenophonte Dercylidas, quod Tissaphernem et Pharnabazum adversarios esse cognoverit, *κοινολογησάμενος τῷ Τισσαφέρνει* in Aeolidem, partem Pharnabazi provinciae, exercitum ducit. (III, 1, 9). Ad verba *κοινολογησάμενος τ. T.* referenda sunt verba III, 2, 12: *καὶ μέχρι τούτου τοῦ χρόνου ἐν εἰρήνῃ διῆγον Τισσαφέρνης τε καὶ Δερκυλίδας.* Itaque hunc indutias fecisse cum Tissapherne crederes. (cf. Judeich l. l. p. 45.) Accuratius autem rem tractemus. De Aeolide ad Pharnabazi satrapiam pertinente inscius Xenophon recte tradit. Re vera enim Aeolis erat illius, sed Sardium satrapae, non Dascylii. Haec enim terra, cum partem eam satrapiae Cyri fuisse Diodorus XIV, 19, 6 expressis verbis dicat, post huius mortem erat eius, qui Cyro provinciae administrator succedebat.

Deinde aliud argumentum ex ipso Xenophonte proferri potest. Mania, cui Pharnabazus administrationem Aeolidis tribuerat, interfuit eius in fines Pisidarum expeditioni. (III, 1, 13.) Quam Pharnabazus non nisi Lydiae satrapa suscipere potuisse consentaneum est. Itaque, cum Aeolis Pharnabazi sit, hunc Lydiam gubernasse cogitur hac ex re.

Aeolidi igitur Dercylidam bellum intulisse Xenophon tradit, cum antea indutias inierit cum Tissapherne. Sed qui potest ille, si cum hoc ei pax erat, regiones devastare, quae huic sunt tuendae? Cum Tissaphernes praefecturam totius contra Lacedaemonios belli teneat, hoc bellum foedere cum eo icto interruptum esset. Itaque has indutias a Xenophonte excogitatas esse censebimus, ut cur Dercylidas Tissaphernis provinciam, quam putat ille, reliquerit explicet. Qua sententia sequimur Diodorum, qui earum mentionem non facit.

His, quae exposuimus, praeter alia Pharnabazum satrapam Sardium fuisse apparet. Qui quod Tissaphernes provinciam eius non defendit a Lacedaemoniis, foedus inire cogitur cum Dercylida, quo urbes quidem ab eo expugnatas amittit, tamen impetrat, ut e finibus satrapiae ille decedat. (Hell. III, 2, 1. Diod. XIV 38.) Quem rerum conexum minime Xenophonten perspexisse demonstratur his verbis: *ὁ μέντοι Φαρνάβαζος νομίσας τὴν Αἰολίδα ἐπιτετειχίσθαι τῇ ἑαυτοῦ οἰκήσει Φρυγίᾳ σπονδὰς εἵλετο.*

Offendimus his in rebus, quod Tissaphernes imperator non tuetur Pharnabazi terram ab hostibus, quod decebat. Sed hoc satis explicatur inimicitiis, quae inter eos intercedebant. Saepius etiam Pharnabazum desertum inveniemus ab illo, quare hoc quoque in censum veniet, cum agetur de proditione, cuius Tissaphernes a rege capitis damnatur.

Foedere inito Dercylidam statim Pharnabazi fines reliquisse suspicandum est. Comperimus autem illum inde profectum in fines Thracum Bithyniorum ibi hibernasse. Si Pharnabazus fuisset re vera Dascylii satrapa, ut vult Xenophon, tum per totam eius provinciam Dercylidas iter fecisset atque in ipsis finibus eius hiemasset. Bithyniam enim Dascylii administratori attributam esse et ex Anabaseos fine apparet et ex Anab. VI, 4, 24, quo Pharnabazum Bithyniis auxilio venisse narratur. Itaque ex illo quoque loco hunc Sardium satrapam fuisse elucet.

Quod non alter Dascylii satrapa Lacedaemoniis obviam proficiscitur, eo intellegitur, quod, cum Asidates haud ita multo antea esset captus, successor eius nondum videtur advenisse.

Proximo vere Dercylidas iterum Ephesum se contulit, qua ex urbe contra Tissaphernem agi solebat. Legati enim ab urbium Graecorum incolis in Graeciam missi Lacedaemonios admonuerunt, ut incursionem facerent in Cariam, *ἔνθαπερ ὁ Τισσαφέρνους οἶκος,* quod tali expeditione Tissaphernes permoveri posset, ut Graecas urbes liberas redderet. (Hell. III, 2, 12.) Quod consilium eorum vix intelleges, si eum Sardium satrapam habebis cum Xenophonte. Tum enim certissime ad illud eum adduci posse putares, si incursu periculum intenderent Lacedaemonii Sardibus, provinciae eius capiti. Perspicies autem legatorum rationem, si Tissaphernem imperatorem solum habebis. Tum *οἶκος* ille hereditaria eius possessio est, quam satrapa aliquando acceperat. (cf. Xen. Cyr. VIII, 6, 4.) Cui si periculum imminet, gravius premitur onere quam si Sardes in periculo sunt, quo adversarius eius imminuitur.

Dercylidas igitur in Cariam incurrere iussus obsequitur. Hoc tempore Tissaphernes et Pharnabazus bellum coniungebant, cuius rei satis mirae Xenophon hanc ostendit causam. Pharnabazum venisse ad Tissaphernem, quod hic imperator esset nominatus et ipse demonstrare vellet, *ὅτι ἕτοιμος εἴη κοινῇ πολεμεῖν καὶ συμμάχεσθαι καὶ συνεκβάλλειν τοὺς Ἕλληνας ἐκ τῆς βασιλέως.* (Xen. Hell. III, 2, 13.) Atque hoc quidem eum permovit ad adiuvandum Tissaphernem, quamquam imperio eius invideret et graviter ferret, quod Aeolidis esset privatus (scil. eius culpa.) Superfluum est, ad has ineptias Xenophontis quidquam addere.

Societas eorum non potest explanari nisi Pharnabazum satrapam Lydiae esse putamus. cf. Judeich, p. 51. Prope Ephesum urbem Dercylidas in hostes incidit ex Caria adventantes.[22]) De militum numero Diodorus Persas fuisse triginta milia, Lacedaemonios non amplius quam septem milia narrat (XIV, 39.) Quam periculosa fuerit horum condicio inde apparet, quod auxilia in Asia minore comparata partim armis abiectis ex exercitu fugerunt, partim de victoria desperaverunt (Hell. II, 2, 17.) Summa igitur Persis erat opportunitas proelium committendi. Quod ut fieret cum Pharnabazus daret operam, repentino consilio Tissaphernes indutias fecit cum Graecis. Quod factum Xenophon eo explicat, quod Tissaphernes in memoriam revocaverit virtutem Graecorum cum Cyro coniunctorum atque ceteros pari fortitudine esse arbitratus sit. Tanta simplicitate atque iactatione his de rebus Xenophon iudicat. Alia nobis quaerenda est causa. Tissapherni, cum possessionem suam copiis satis munivisset, victoria in Ionia reportata nullum fere commodum esset paratum. Summi autem momenti fuisset Pharnabazo Lacedaemonios vinci, quod hac victoria et urbes Ionicas et Aeolidem in suam potestatem se redacturum esse sperare iure posset. Quam spem ut irritam redderet, sine dubio Tissaphernes, quo erat odio in eum, pactionem fecit. Quod alterum proditionis cuiusdam Tissaphernis exstat exemplum. (cf. p. 37).

Usque ad annum 396 nihil comperimus de bellis in Asia minore gestis. Hoc autem anno Agesilaus eo mittitur, quem Lysander comitatus est. Qui viri cum discordarent inter se cumque Lysander parvi se aestimari ab Agesilao putaret, ab eo ut in alium locum se mitteret petivit. Concessa prece Lysander ad Hellespontum profectus est. Quod sola ea de causa factum esse, quam Xenophon profert, nemo credet. In sequentibus autem legimus, quid re vera Lysandri discessum moverit. Hell. III, 4, 7 ss.

Secundum Xenophontis narrationem Lysander, cum ad Hellespontum venisset, forte comperit Spithridatem Persam a

---

[22]) Hunc locum Judeich p. 51 non recte intellexit. Tissaphernes et Pharnabazus Cariam satis frequentibns praesidiis muniunt. Deinde eis visum est *διαβαίνειν πάλιν ἐπὶ τὴν Ἰωνίαν.* Sequuntur haec: *ὡς δ' ἤκουσεν ὁ Δερκυλίδας, ὅτι πάλιν πεπερακότες εἰσὶ τὸν Μαίανδρον . . . διέβαινε καὶ αὐτός.* Ex his Judeich Dercylidam Epheso in Cariam irrupisse putat, deinde reversum apud Ephesum in hostes incidisse. Hos igitur Lacedaemonios circumisse putare necesse esset. Cur ne verbo quidem hoc indicat Xenophon? Itaque *διαβαίνειν* hoc loco non significat „flumen transire", sed omnino „proficisci", qui usus saepissime apud hunc scriptorem invenitur.

Pharnabazo esse ἐλαττούμενόν τι. Quid hoc significet, cognoscitur ex Xen. Ages. III, 3: Φαρνάβαζος γῆμαι μὲν τὴν βασιλέως ἔπραττε θυγατέρα, τὴν δ' αὐτοῦ (sc. τοῦ Σπιθριδάτου) ἄνευ γάμου λαβεῖν ἐβούλετο. Sermonem cum eo Lysander contulit et ei, ut a rege deficeret, persuasit. Spithridates cum familia, thesauro, ducentis equitibus ad Graecos transiit. Quo munere hic Persa functus sit, ex Xenophonte non intellegitur. Cum adhuc Dascylii satrapam desideraverimus, facile Spithridatem hunc esse coniciemus. Equites igitur ei sunt, quos Xenophon Cyr. VIII, 6, 10 a satrapis instructos indicat. Lysandrum igitur ad illum discessum eo permotum esse verisimile est, quod ei mandatum erat ut Spithridatem ad defectionem incitaret, cum notum esset Lacedaemoniis discordiam exstare inter eum et Pharnabazum. Qua cum opinione optime congruit, quod Lysander hoc munere perfecto statim ad Agesilaum revertitur cum Spithridate. cf. Judeich p. 57. Ex hoc Agesilaus de Pharnabazi provincia exquirit. Quod utinam Xenophon quoque fecisset! Nam tum quoque Tissaphernem satrapam esse Xenophon arbitratur, ut ex III, 4, 5 apparet.

Tissaphernes, qui initio indutias inierat cum Agesilao, intera exercitu satis aucto bellum incepit. Agesilaus omnia ad incursum in Cariam comparavit, subito autem in contrarias regiones se vertit. Simulasse igitur illam expeditionem videtur, ne Tissaphernes ipsi transitum ad septentrionales regiones atque ad Spithridatem socium interc luderet.Ingentibus enim copiis eius se non esse parem sensit, cum is sexaginta milia militum haberet, ipse circiter decem milia. Eandem ob causam summopere eum exercitum amplificantem proxima hieme invenimus. (Hell. III, 4, 11 ss.)

De illa Agesilai expeditione accuratius Xenophonte agit Diodorus XIV, 79. ad urbem Cymen exercitum Agesilaus ducit atque inde in finitimas regiones facit incursiones. Quarum ad unam spectant, quae Xen. Hell. III, 4, 13 ss. tradit. Lacedaemonii enim, cum prope Dascylium urbem venissent, inciderunt in equites a Pharnabazo missos, a quibus ipsorum cquites fugati sunt. Quibus postquam pedites auxilio venerunt, barbari se retulerunt. Postero die Agesilaus iniqua sacrificia causatus ad mare, i. e. Cymen ad urbem rediit.

Equites Pharnabazi neque hoc loco neque Hell. IV, 1, 17 ss. Lacedaemoniis obsistunt nisi ad ipsam Dascylii urbem. Itaque non totam provinciam defendunt, sed caput eius sive regionem prope id sitam, quam Pharnabazi esse hac ex re cognoscimus. Si autem satrapa Sardium regionem quandam

obtinet in aliena provincia, eam hereditariam habebimus. Quam possessionem patrem Pharnabazi, cum ante hunc esset Dascylii satrapa (cf. Krumbholz p. 34 s), adeptum esse et per se conici licet et a Xenophonte significatur Hell. IV, 1, 33. Equites illi quin eis respondeant, quos Xenophon a satrapis instructos commemorat, non est dubium. Itaque sub satraparum iussu hae copiae sunt. Idem comprobatur equitibus, quos Spithridates secum fert, cum ad Lysandrum veniat. (H. III, 4, 10).

Quod Agesilaus illis in rebus gestis nullo modo a Tissapherne impeditus est, miramur. Quae res expeditione explicatur de qua verba facit Diodorus XIV, 79, cum Xenophon silentio eam praetermittat. Tissaphernes[23]) et Pharnabazus magno exercitu Cononi, qui praeest classi Persicae, auxilio venerunt, cum Sassandae, in oppido Cariae, obsidione clauderetur a Pharace, duce classis Lacedaemoniorum. Tissaphernes igitur non profectus est contra Agesilaum, qui Pharnabazi provinciam devastabat, sed contra Pharacem, cum ab hoc ipsius possessioni Caricae periculum immineret. Pharnabazus, cum solus Agesilao non par esset, Cariam cum Tissapherne defendit ipse, et tractum, quem in Dascylio satrapia possidebat, equitibus suis.

Copiis denuo paratis Agesilaus contra Sardes urbem signa movit. Quo in itinere Xenophon de proelio quodam verba facit (H. III, 4, 21 ss), cum Diodorus XXIV, 80, quo in capite aperte de eadem expeditione agitur, describat, quomodo Agesilaus e receptu Persis paraverit insidias. Quas multo maioris esse momenti quam proelium illud cum equitibus hostium solis commissum nemo non videt. Unde apparet Diodorum sive eius fontem illud consulto, Xenophontem autem alteram Persarum cladem vix alia causa ac neglegentia omisisse. Cetera obscure ab eo narrantur.

Tissaphernes arbitratus Agesilaum in Cariam invasurum esse *τό τε πεζὸν καθάπερ τὸ πρόσθεν εἰς Καρίαν διεβίβασε καὶ τὸ ἱππικὸν εἰς τὸ Μαιάνδρου πεδίον κατέστησεν.* Itaque Agesilaus, cum re vera contra Sardes properaret, eos in tergo reliquit. Ei igitur milites, qui Agesilao obsistunt, non Tissaphernis esse possunt. Eos enim tum exercitum Lacedaemoniorum plane circumisse credere oporteret, quod Xenophon ne verbo quidem indicat. Opinio illa singulis rebus ab eo narratis comprobatur. Legimus enim haec (III, 4, 21 s.): *ὁ δ' Ἀγησίλαος*

---

[23]) Pro Artaphernes scribendum esse Tissaphernes Krumbholz p. 86 rectissime vidit, Judeich p. 65 ad 1 iniuria negavit.

. . . *εὐθὺς εἰς τὸν Σαρδιανὸν τόπον ἐνέβαλεν. Καὶ τρεῖς μὲν ἡμέρας δι' ἐρημίας πολεμίων πορευόμενος πολλὰ τὰ ἐπιτήδεια τῇ στρατιᾷ εἶχε, τῇ δὲ τετάρτῃ ἧκον οἱ τῶν πολεμίων ἱππεῖς, καὶ τῷ μὲν ἄρχοντι τῶν σκευοφόρων εἶπεν ὁ ἡγεμὼν διαβάντι τὸν Πακτωλὸν ποταμὸν στρατοπεδεύεσθαι, αὐτοὶ δὲ κατιδόντες τοὺς τῶν Ἑλλήνων ἀκολούθους ἐσπαρμένους εἰς ἁρπαγὴν πολλοὺς αὐτῶν ἀπέκτειναν.* Quarto igitur die equites hostium obvenerunt. Imperator eorum (non Lacedaemoniorum) calonum duci mandavit, ut trans Pactolum flumen transgressus castra ibi faceret. Equites ipsi Graecos sparsos adorti sunt. Quae sententia satis perspicua plane depiavatur, cum Judeich p. 60 Graecos flumen transvectos esse putat. Idem Keller censet, qui inter Hellenicorum verba *ὁ ἡγεμὼν* delet. Vehementissime autem errant hac in re. Si enim *εἶπεν* spectaret ad Agesilaum, minime vox *αὐτοὶ* de hostibus a Xenophonte adhiberi potuit. Deinde hostes flumen transisse ex sequentibus elucet. Hostes enim fugati ab Agesilai copiis *οἱ (μὲν αὐτῶν) . . . ἐν τῷ ποταμῷ ἔπεσον.* (H. III, 4, 24). Minime autem in flumen pelli poterant Persae fugientes, nisi antea transgressi erant Pactolum. Deinde verba *οἱ δ' Ἕλληνες . . . αἱροῦσι καὶ τὸ στρατόπεδον αὐτῶν* aperte ad castra pertinent, quae dux hostium poni iusserat.

Inde igitur a Sardibus Graecis equites obviam venerunt, quorum ducem Xenophon non nominat. Causa cur nomen omiserit est apertissima: nesciebat, quis ille fuisset. Itaque hic certe non est Tissaphernes. Verbis autem § 25: *ὅτε δ' αὕτη ἡ μάχη ἐγένετο, Τισσαφέρνης ἐν Σάρδεσιν ἔτυχεν ὤν* idem plane confirmatur. Sed cuius erant illae copiae? Eius nimirum, cuius intererat non capi Sardes ab hostibus. Quas si Tissaphernes imperator non satis defendebat, certe satrapa, quantum poterat hostes arcebat. Quocum optime congruit, quod equites Graecis obsistunt, quorum numerum quendam sub potestate satrapae fuisse vidimus. Deinde lux affertur hac sententia duobus locis, qui alia ratione non intelleguntur. Legimus enim Xen. Ages. I, 33: *ὡς δὲ ἤκουσε (ὁ Ἀγεσίλαος) τοὺς πολεμίους ταράττεσθαι διὰ τὸ αἰτιᾶσθαι ἀλλήλους τοῦ γεγενημένου.* Quinam propter illam cladem sese incusant? Tissaphernes nimirum et Pharnabazus, quorum hic Tissaphernem accusavit, quod ipsum non adiuvisset, ille nescio qua de causa huic culpam cladis attribuit.

In Hell. III, 4, 25, postquam Tissaphernem, quo tempore illam cladem Persae acceperunt, Sardibus fuisse narravit, Xenophon addit: *ὥστε ᾐτιῶντο οἱ Πέρσαι προδεδόσθαι ὑπ' αὐτοῦ.*

Iure igitur Tissaphernes accusabatur, cum Pharnabazum deseruisset. Iam enim bis Pharnabazi odio commotum Tissaphernem officium neglexisse intelleximus (p. 37 et 38.) Paulo infra post huius cladis narrationem Xenophon de Tissaphernis poena verba facit. Omisit igitur, quae maioris momenti Diodorus affert XIV, 80. Inseramus ea ordini rerum. — Agesilaus copiis Pharnabazi fugatis agros circum Sardes sitos populatus Ephesum revertit, sed cur hoc fecerit, non dixit Diodorus. Ex sequentibus Tissaphernem eum faucibus urgere cognoscimus, cuius adventu Agesilaum ad reditum adductum esse coniciemus. Post cladem enim Pharnabazi quin copias adversus hostes duceret non potuit facere Tissaphernes. Agesilaus autem insidias ei paravit, quibus multi barbari sunt interfecti. Nec tamen haec clades, sed proditio supra commemorata causa praecipua eius mortis erat. Ad puniendum Tissaphernem rex Tithraustem misit, qui cum teste Diodoro imperator esset nominatus, Tissaphernis munus suscepit. Idem ex Xenophonte colligi potest. Sed cum hic Tissaphernem Sardium satrapam nuncupaverit, omnes viri docti eius sententiam secuti coacti sunt putare Tithraustem quoque administrationem huius provinciae gessisse. (Judeich p. 66. Lenschau. p. 144.) Accedit, quod Xenophon ipse Tithraustem procul dubio putat pro Sardium administratore. Si enim Hell. III, 4, 26 hic Agesilaum admonet, ut in Pharnabazi provinciam se vertat, aperte hunc ut antea Dascylium gubernare, Tithraustem igitur eadem potestate atque Tissaphernem esse censet. (cf. Hell. III, 1, 9.)

Tithrausti ut parerent, rex epistolis mandavit omnibus satrapis. Significatos esse eos administratores, qui sub Tissapherne et deinde sub eius successore satrapiae singulas gentes regerent, putant Judeich (p. 67) et Lenschau. (p. 151.) Argumento, quo hic fuisse tales vicarios demonstrare studet, contrarium efficitur. Nam si Cyrus vicarios nominavit, cum ipse satrapiam relicturus esset (Diod. XIV, 19), hac re luce clarius ostenditur ante illud tempus eos non institutos fuisse. Immo vero Tithraustes illo loco dilucide satrapis opponitur, qui per se ei non subditi erant, ita ut epistulam a rege acciperet, ut auxilio eorum uti posset.

Satrapa Ariaeus — nam sic scribendum est cum Salmerio pro *Λαρισσαῖος* Diodori XIV, 80, ut apparet ex Polygaen. VII, 16 et Xen. Hell. IV, 1, 27, — Tissaphernem Colossis in urbe Phrygiae cepit et Tithrausti tradidit. Cum Phrygia eo tempore coniuncta esset cum Lydia, Ariaeus Sardium satrapa est. Ad hunc Spithridates confugit Xen. Hell. IV, 1, 27.

Itaque Pharnabazus tum cum Tithraustes mitteretur imperator non iam eo munere fungebatur. Videamus, cur magistratum deposuerit.

Xenophon ne tum quidem iterum Pharnabazi munus esse mutatum intellexit. (Hell. III, 4, 26; IV, 1, 1; cf. Judeich p. 71). Agesilaus foedere cum Tithrauste facto ad Hellespontum profectus est. Quibus in regionibus simul atque rex versatur, Spithridates socius apud eum commoratur. Hic ut Otym, Paphlagonum regem, ad defectionem adduceret, Agesilao persuasit. Per totam huius satrapae provinciam iter fecerunt. Hoc loco cum IV, 1, 7 Pharnabazum a Spithridate expulsum esse narret, etiam Xenophon animadvertisse videtur hunc Dascylium provinciam tum obtinuisse. Discrepant autem hac cum sententia verba IV, 1, 1: *εἰς τὴν τοῦ Φαρναβάζου Φρυγίαν* atque IV, 1, 4, ubi Spithridates se exsulem esse dicit.

Post Paphlagonum regis et Agesilai colloquium hic iterum contra Dascylium urbem progressus est, *ἔνθα καὶ τὰ βασίλεια ἦν Φαρναβάζῳ* (IV, 1, 15). Cuius de possessione privata ut primum actum est, hic adventavit eam defensurus quadringentis equitibus et duobus curribus falcatis. Ipse his copiis praefuit, quod illo tempore non iam Lydiae satrapia fungebatur, quamquam equites, quos exstruxerat satrapa, tum quoque sub eius potestate erant.[24]) Quibus militibus Graecos in agris populandis, ut raperent ferrentque praedam palantes fugavit. Ipse a Graecis paucis diebus post nocturno impetu oppressus est. Spithridates enim quo loco ille castra posuisset, Graecis indicaverat atque ipse expeditioni Lacedaemoniorum interfuerat, cui Herippidas, Agesilai dux, praeerat. Castris Pharnabazi captis de praeda orta est discordia inter Spithridatem et Herippidam eripientem huic praedam, quam sibi assumpserat. Qua re iratus hic ab Agesilao descivit atque se contulit ad Ariaeum, Sardium satrapam. Verba autem Xenophontis IV, 1, 28 *Ἀγησιλάῳ μὲν δὴ τῆς ἀπολείψεως τοῦ Σπιθριδάτου . . . οὐδὲν ἐγένετο βαρύτερον ἐν τῇ στρατείᾳ* tum demum plane intelleguntur, si veram Spithridatis condicionem respicimus.[25]) Amicitia eius, cum pro-

[24]) Itaque Ariaeum Pharnabazi successorem ipsum suos milites conscripsisse putabimus. (cf. Xen. Cyr. VIII, 6, 10).

[25]) Nec tamen Herippidae stultitiam solam fuisse causam defectionis Spithridatis elucet. Nam cur hic de eius insolentia non conqueritur cum Agesilao? Hic certe praedam ei prospexisset. Atque eo minus fuga satrapae intellegi potest, quod provinciam in Agesilai potestate relinquit. Itaque aliis quoque causis eo ad deserendam Agesilai factionem permotus est.

vincia sub eius esset potestate, summi erat momenti Agesilao, quod habebat, quo sese reciperet. Atque cum illa ipsa defectione aperte cohaeret, quod Agesilaus paulo post cum Pharnabazo colloquium iniit, quo hunc ad suas partes adducere studuit.

Questus est hoc in sermone Persa, quod Lacedaemonii occupassent *τὴν χώραν* eius, i. e. provinciam, cui opponitur quodam modo possessio, quam pater ei reliquerat. Satrapam igitur loquentem facit Xenophon Pharnabazum. Idem elucet ex IV, 1, 36, quo loco Agesilaus eum aucturum esse *τὴν ἀρχὴν* dicit, si Lacedaemoniorum socius fieret. Denique rex decessurum se esse e provincia eius pollicitus est (IV, 1, 38). Tamen hic sermo nonnulla continet, quae quamquam satis sunt obscura, nihilominus fide sint digna.

Agesilao oranti ut a rege deficeret Pharnabazus respondit ad partes Lacedaemoniorum transiturum se esse, si rex alium imperatorem mitteret, sin autem ipsi imperium tribueret, impugnaturum se esse eos, quantum posset. Pharnabazus igitur sperabat fore ut a rege imperator nominaretur. Ex Diod. XIV, 81 hoc illustremus. Cononi eodem fere tempore apud regem versanti permittitur, ut socium eligat imperatorem quemlibet ex Persis. Ille nauarchum designat Pharnabazum. Conon si non permotus ab hoc, certo non inscio eo ad regem profectus est. Pharnabazus enim regem antea impulit, ut nauarchum declararet Cononem (Diod. XIV, 39.) Itaque cum ad colloquium Agesilai veniret, Pharnabazus regis responsum nondum audiverat. Paulo post ei a rege belli praefectura tradita est.

A Xenophonte autem etiam hoc munere suscepto Pharnabazus Dascylii satrapa habetur. Nam cum hic ad Hellespontum terrestri itinere proficisceretur, ut Abydum obsidione clauderet, quam urbem Conon a mari oppugnabat, Xenophon Hell. IV, 8, 3: *αὐτὸς(δὲ)*, inquit, *πεζῇ παρῄει ἐπὶ τὴν αὐτοῦ ἀρχήν.* cf. Judeich p. 79. 81. 83.

Pharnabazus igitur loco Tithraustis, qui 395—394 imperium gesserat, imperator est factus. Qui cum Cononis peritia belli Lacedaemoniorum classem apud Cnidum devicisset, socios eorum ad suas partes studuit perducere optimo eventu. (Diod. XIV, 84 s.). Deinde postquam in ipsa Graecia Lacedaemonios est aggressus in Asiam revertit. Munus enim eius Tiribazus susceperat, cui proximo anno Struthas successit. Quibus in imperatoribus munus praefecturae belli annuum fuisse aperte cognoscitur. Omnes autem soli imperatores, non satrapae putandi sunt.

Ex eis, quae adhuc disputavi, Xenophontem in narrandis

rebus post Cyri mortem gestis gravissime erravisse apparet. Videamus, quo modo errores eius exorti sint. Xenophon in exercitu Cyri, qui et administrationem et imperium tenebat, huius potentiam cognoverat. Itaque cum successorem eius haberet Tissaphernem exercitui praefectum, hunc provinciam quoque gubernasse putabat. Singularem enim Cyri potestatem fuisse non intellexit, ut falso usu vocis *κάρανος* demonstratur.

Pharnabazum autem ante a. 400 Dascylii satrapam cognoverat. Itaque cum etiam post hunc annum in eadem provincia copias eius inveniret, eundem post Cyri mortem eam administrasse putabat, quam ob rem veram Asidatis et Spithridatis condicionem intellegere non potuit.

Complectamur paucis, quod de muneribus satrapae et imperatoris ex antecedentibus sequitur.

Cyrus caranus provinciarum ad mare sitarum erat ab anno 408—400.

Tissaphernes Sardium satrapa erat usque ad annum 408, imperator 400—395.

Pharnabazus Dascylium provinciam administrabat usque ad a. 400, satrapa Sardium erat 400—395, imperator 394—393.

Asidates a. 400 ei succedebat in provincia gubernanda.

Spithridates huius erat successor.

Ariaeus inde ab a. 395 Sardes regebat.

Tithraustes imperator erat 395—394,

Tiribazus 393—392,

Struthas 392—391.

Satis ergo confirmantur, quae de separatione illorum munerum constitueramus. Omnibus enim exemplis idem comprobatur: satrapae atque imperatoris officia ipsa nunquam congregata fuerunt in uno eodem viro. Cyri potestas non in censum venit, quod hoc unicum exemplum singularis est dignitatis.

Iam contemplemur ultimum imperii Persarum tempus.

Post Pharnabazum Sardium satrapa commemorabatur Ariaeus, quem subsecutus videtur esse Autophradates. A Theopompo enim hic memoriae traditur Lydiae administrator a. 391. Verba eius haec sunt (Photius cod. 176): *ὅπως τε ὁ βασιλεὺς Εὐαγόρᾳ συνεπείσθη πολεμῆσαι στρατηγὸν ἐπιστήσας Αὐτοφραδάτην τὸν Λυδίας σατράπην, ναύαρχον δὲ Ἑκατόμνων.* Narratio autem Photii non satis est accurata, quod Autaphradates, cum esset satrapa, contra Euagoram mitti non poterat. Itaque administrationem deposuisse illum crederes. Aliter autem haec discrepantia tollenda esse mihi videtur. Adhuc unum ducem expeditioni cuilibet praefuisse solitum cognovimus. Sic

Megabates solus classi contra Naxum missae praepositus erat. (Her. V, 32). Quo ipso exemplo quam partem Autophradates illius expeditionis attigerit discimus. Ut Artaphernes satrapa Lydiae aliquanto expeditionem instruxit ita tum Autophradatem putabimus. Quod recte nobis esse visum, testis est Diod. XIV, 98, 3. Hic enim expressis verbis solum Hecatomnum factum esse imperatorem, satrapis autem urbium ad mare sitarum ut exornarent classem mandatum esse a rege narrat. Quorum administratorum a Diodoro neglegenter significatorum potentia praestabat Autophradates, quem praecipuum Theopompus nominavit. Error ille sine dubio non huic, sed Photio culpae est dandus, qui indiligenter eius scriptum excerpsit.

Ergo Autophradates etiam post annum 391 Lydiam administravit.

Aliter censebimus de Rhoesace, qui a Diodoro XVI, 47, 2 satrapa Lydiae tum nominatur, cum praefuerit parti exercitus Persici ab Artaxerxe in Aegyptum ducti. Hic enim ante hanc expeditionem satrapa fuisse videtur.

Eis, quae supra de ducum numero exposuimus, obstare videtur Diodorus testis, qui XV, 2, 1 de altera Artaxerxis expeditione contra Euagoram suscepta haec tradit: *στρατηγοὺς δ' ἀπέδειξε τῆς πεζῆς δυνάμεως Ὀρόντην κηδεστήν, τῆς δὲ ναυτικῆς Τιρίβαζον.* Ipse enim scriptor sibi adversatur, qui XV, 3 Glon *τὸν τῆς ναυτικῆς δυνάμεως ἡγούμενον* atque paulo infra eundem *ναύαρχον τῶν Περσῶν* nominat. Itaque et hunc et Orontem subditos fuisse conicio Tiribazo, qui summum tenebat imperium. Quod recte sese habere ex sequentibus elucet, ut praetermittam usum fuisse prudentissimum Persarum uni semper viro belli praefecturam tradere. Primum igitur XV, 8 apertis verbis dicitur Tiribazum habuisse *τῶν ὅλων τὴν ἡγεμονίαν.* Deinde cum Tiribazum calumniatus de imperio removisset, Orontes accepit *τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἐν τῇ Κύπρῳ δυνάμεων.* (XV, 9.) cf. Judeich p. 123. Lenschau p. 145.

CAPUT II.

DE LYDIA SATRAPIA.

Eis, quae de muneribus satraparum disputavi, in hoc capite appendicis instar nonnulla addam et de aliarum satrapiarum et de Lydiae ambitu. Haec enim quaestio non accuratius tractata est adhuc quam illa. Atque primum agendum est de indice *τῶν νομῶν,* qui exstat apud Her. III. 90 ss. Hoc enim enumeratas esse satrapias Persicas plerique viri docti censuerunt. Krumbholz in dissertatione supra laudata hoc indice utitur fundamento, quo in enumeratione satrapiarum Asiae minoris quam composuit nititur. Quod suo iure eum fecisse censet Noeldecke in uberi eius dissertationis recensione. (Gött. gel. Anzeiger. 1884. p. 290 ss.) Ipse eandem sententiam praebet in libro, cui „Aufsätze zur persischen Geschichte“ inscripsit. (p. 34.) Atque recte quidem viri docti hanc opinionem ex Herodoti verbis, qualia exstant, hauserunt, ut primum est exponendum. In sequentibus solas Asiae minoris satrapias in censum vocemus ac praecipue Sardium quidem, quod de hac certius diiudicari potest propter uberiora scriptorum testimonia.

Dareus, postquam ea, quae narravit Her. III. 88, perfecit, *ἀρχὰς κατεστήσατο εἴκοσι, τὰς αὐτοὶ καλέουσι σατραπηίας.* In cap. 90—94 enumerantur viginti territoria a gentibus circiter septuaginta habitata, quae ab Herodoto *νομοὶ* appellantur. Quod si in cap. 97 legimus: *αὗται μέν νυν ἀρχαί τε ἦσαν καὶ φόρων ἐπιτάξιες,* vox *ἀρχαί,* si cap. 89 non respicimus, per se melius ad singulas gentes referretur quam ad viginti *νομούς.* Sed cum in cap. 89 exstet viginti eum *ἀρχὰς* instituisse, voce *εἴκοσι* cogimur illud *ἀρχαί* capitis 97 ad viginti *νομοὺς* referre. Quod *ἀρχὴ* idem est atque *σατραπηία,* vocabulo *νομὸς* quoque idem significari ab Herodoto putemus necesse est. Ergo novam satrapiarum distributionem Dareum instituisse concludendum est ex Herodoti verbis.

Tamen si scriptorum historicorum exempla consideramus, ne unum quidem testimonium invenimus, quo iidem fines ab Herodoto descripti possint cognosci. Itaque de fide eius capitis dubitari licet. Atque ipsis scriptoris verbis diligentius pertractatis illa sententia refutatur, ita ut Dareum satrapiarum ambitum non mutasse appareat, quod quidem convenit cum omnibus historicorum testimoniis.

Primum non congruere mihi videtur cum Herodoti usu dicendi, quod in cap. 89 pro provincia adhibet voces *ἀρχὴ* et *σατραπηίη,* in sequentibus autem, ut idem significet, utitur vocabulo *νομός.* Quod non varietatis causa eum facere voce *νομὸς* vicies allata demonstratur.

Deinde capitis 89 sensus hac re plane depravatur. Videamus, quae sit sententiarum progressio.

Dareus viginti provincias instituit. Verbis *καταστήσας δὲ τὰς ἀρχὰς καὶ ἄρχοντας ἐπιστήσας* in sequentibus novi aliquid proferri aperte ostenditur. Itaque postquam satrapias constituit eisque praefecit satrapas, imperavit, ut sibi tributa solverentur. Verbis, quae sequuntur, apparet, qua ratione tributa exigi rex voluerit. Separatim enim singularum gentium pecunias tradi sibi nolebat, sed collatas in certas quasdam summas. Quam ad rem quibus causis rex commotus sit, explanare supervacaneum est. Itaque tributum pendebatur *κατὰ ἔθνεα,* si populus quidam erat satis magnus, ut solus idoneam summam poterat solvere; aut rex *πρὸς τοῖσι ἔθνεσι τοὺς πλησιοχώρους* addidit, si non satis copiosae argento erant gentes; aut, si ne hac quidem ratione ad comparandam eius modi summam gentes vigebant, rex *ὑπερβαίνων τοὺς προσεχέας τὰ ἑκαστέρω ἄλλοισι ἄλλα ἔθνεα* tribuit. — Post haec quae exstant, infra erunt tractanda.

Si qua ratione gentes vectigalium solvendorum causa distributae fuerint, comparamus cum enumeratione gentium, quas singuli *νομοὶ* continebant, apertissime illis capitis 89 verbis explicatum esse intellegimus, quomodo *νομοὶ* exorti sint. Eisdem autem verbis quam rationem Dareus in tributis imponendis secutus sit exponitur. Ergo sententia est huius enuntiati: Dareus tributa instituit atque ad ea exigenda *νομοὺς* condidit. Voce autem *νομὸς* idem significari vidimus atque *ἀρχή.* Quod si recte sese haberet, Herodotum ipsum *νομοὺς* in cap. 90—94 enumeratos idem habuisse oporteret atque *ἀρχάς,* quas Dareus secundum capitis 89 initium condidit. Tum sententia totius loci haec esset: Dareus, postquam satrapias instituit, tributa imposuit eorumque causa satrapias instituit. Hoc autem alienum est a sana Herodoti mente.

Sed facillime hic locus potest sanari. Depravatus enim est eam solam ob causam, quod voce *εἴκοσι* initio capitis 89 addita *ἀρχὴν* idem esse atque *νομὸν* putare coacti sumus. Itaque illa eiecta restituetur vera huius loci sententia: Dareus, postquam satrapias constituit, praeter eas singulares ad tributa exigenda *νομοὺς* condidit. Voce igitur *νομὸς* haec territoria

non eadem esse atque *τὰς ἀρχὰς* Herodotus significat. Opponuntur enim quodam modo hae voces. Sic mira illa significationis commutatio explicatur. Tum verba cap. 97: *αὗται μέν νυν ἀρχαί τε ἦσαν* ad singulas gentes atque *φόρων ἐπιτάξιες* ad *νομοὺς* spectant. Illae igitur gentes Herodoto auctore satrapiae erant. Cui opinioni non adversatur, quod non omnes populi illic enumerati sub singulorum satraparum administratione erant. Nonnullae enim gentes coniunctae uni rectori tribuebantur. Tamen aperte singulae habentur satrapiae, ut demonstratur Diod. XIV, 35, quo loco missum esse a rege Pharnabazum *παραλήψομενον πάσας τὰς ἐπὶ θαλάττῃ σατραπείας* legimus. Deinde, si una satrapia ex compluribus populis composita esset, certe ei proprium nomen esset datum. — Illa sententia non prohibetur verbis *καὶ ἄρχοντας ἐπιστήσας,* quamquam per se suum quamque provinciam gubernatorem habuisse ex eis concludendum esset.

Denique verba *ἀρχὰς δὲ καὶ φόρων πρόσοδον τὴν ἐπέτειον κατὰ τάδε διεῖλε* nisi vocem *ἀρχὰς* referimus ad singulas gentes non intelleguntur. Explicatur enim eis, qua ratione singularum gentium tributa constituta sint: Babylonium talentum argentum pendentibus, aurum autem solventibus Euboeicum quasi norma statutum est. Quae ratio in satrapis constituendis vehementissime offenderet.

Dareus igitur fines provinciarum non mutavit, sed solam administrationem earum. Nam sub Cyri et Cambysis imperio gentes subactae teste Herodoto dona his regibus reddebant. Verba autem scriptoris *ἀρχὰς κατεστήσατο* non sunt accurata, ut iam supra vidimus. Scimus enim iam ante Darei regnum satrapias fuisse. Quacum neglegentia artissime cohaeret, quod ille tributa Dareum imposuisse narrat, postquam satrapias instituit. Re vera rerum ordo contrarius est. Ipsa enim vectigalium exactio fuit, cur mutaret administrationem.

Quod hac ratione ex Herodoti verbis enucleavimus, exemplis eius et ceterorum historicorum confirmatur.

Si Cyrus victo Croeso *τὰς Σάρδις* administrandas tribuit Tabalo, illa voce totum Croesi regnum significatum esse nemo non vidit (H. I, 153.), cum ne verbo quidem id divisum esse Herodotus indicet. Itaque Tabalus eandem fere potestatem obtinuit atque Oroetes, *ὕπαρχος Σαρδίων,* qui gubernabat *νομὸν τόν τε Φρύγιον καὶ Λύδιον καὶ Ἰωνικόν.* (Her. III, 127)[26]).

[26]) Quod Oroetem Phrygiam post mortem Mitrobatis, Dascylii satrapae, expugnasse censet Krumbholz p. 18, mera est coniectura eius. Primum enim de hac re nihil traditur, deinde Mitrobates ipse

Phrygiam igitur et Lydiam et Ioniam provincias Oroetes tenebat. Hoc enim loco vox *νομὸς* aliter adhibita est atque Her. III, 90 ss., cum Darei *νομοὶ* Oroetis aetate nondum essent instituti.

Croesi igitur regnum non dividebatur, sed totum magistratui Persico gubernandum tradebatur. Graecae urbes, quae ab imperatoribus Persarum expugnabantur, huic provinciae adiciebantur.

Oroetis fere tempore Dareus novam provinciarum administrationem condidit. Qua singularum gentium distributionem non esse mutatam ex Herodoti exemplis elucet.

Artaphernes enim, qui Her. V, 25 *ὕπαρχος Σαρδίων* ut Oroetes nominatur, aperte eadem atque hic potestate utitur. Quod primum indicatur verbis V, 30 *τῶν ἐπιθαλασσίων ἄρχει πάντων*.

Deinde Herodotus Aristagoram facit admonentem Artaphernem, ut contra Naxum insulam expeditionem exornaret. Qui Megabatem misit cum classe, ut insulam sub satrapae redigeret potestatem. Hoc quidem fieri vix potuisset, si Artaphernes Ioniam non tenuisset. Item inde patet, quod Ionicae urbes ab eo defecerunt atque Artaphernes seditione oppressa tributa eis imposuit. (Her. V, 99; VI, 42.)

Quae urbes cum Sardes cepissent, auxilio venerunt satrapae copiae, quae cis Halym collocatae erant, ut supra est demonstratum. (p. 27.) Vides Artaphernem Phrygiam quidem, sed non Cappadociam tenentem. Praeterea hanc fuisse singularem provinciam testatur Ctesias (XXIX, 16), qui Ariaramnem eodem fere tempore satrapam eius terrae nominat.

Itaque Artaphernes sine dubio eandem potestatem habebat atque ei, qui ante eum *ὕπαρχοι Σαρδίων* ab Herodoto appellantur.

Atque idem ambitus manebat usque ad ea tempora, quibus uberiora de Asiae minoris satrapiis testimonia exstant. Neque enim est, cur dubitemus, quin Tissaphernes usque ad a. 408 Phygiam Lydiamque atque regiones ad mare sitas sub sua potestate tenuerit.

Teste autem Xenophonte (An. I, 9, 7.) Cyrus, qui a. 408 Tissaphernes satrapias subiit, praeter eas etiam Cappadociam accepit, quam adhuc numquam cum illis provinciis congregatam invenimus. Quae congregatio quamquam mira sane esset, tamen per se non offendimus hac potentia in Cyro

---

Phrygiam nunquam obtinebat. Dascylium satrapia septentrionales regiones sub Persarum potestatem redactas usque ad Paphlagonum terram continebat.

cumulata. Parysatidem enim, cuius favore florebat ille, cum regem ut summam rerum Cyro deferret adducere non potuisset, ei potestatem illam extraordinariam comparasse credibile est. Sed non longe a vero videtur abhorrere opinio, qua etiam alios scriptores, cum praeter ordinem Cappadociae quoque ille sit praefectus, idem memoriae tradere putamus. Qui tamen ne verbo quidem hanc exceptionem attingunt.

Plutarchus (Artax. II) Cyrum Lydiae satrapam appellat. Lydia vox, qua non provinciam solam, sed pristinum Croesi regnum aperte Plutarchus significat, certe non ad Cappadociam spectat. Plutarchus autem in componenda Artaxerxis vita praeter Xenophontis Anabasem Ctesiae historiam Persicam adhibuit. Ex hac igitur quin illam notam sumpserit, non est dubium. Quod si ita est, firmissimo nititur Plutarchus fundamento.

Nec minus fide dignus est fons, ex quo hausit Diodorus. Ab eo Cyrus appellatur XIV, 12 *ἄρχων . . . τῶν ἐπὶ θαλάττης σατραπειῶν* atque similiter XIV, 19, 1. Quae significationes plane respondent ei, quam Herodotus V, 30 adhibet de Sardium satrapa, quem dicit. Quod comprobatur Diod. XIV, 19, 6, ubi a scriptore singulae Cyri provinciae afferuntur Phrygia, Lydia, Ionia, Aeolis. Vides igitur nisi in occidentali parte Sardium satrapiam nequaquam amplificatam esse. Quocum congruit, quod barbarorum sunt in Cyri exercitu Phryges et Lydi, non Cappadoces. (Diod. XIV, 22.) Diodori igitur auctor, quem Ephorum hoc loco esse constat inter omnes viros doctos, Cappadociam non inter Cyri satrapias commemoravit.

Prae his testimoniis parvi est momenti, quod Justinus quoque Cappadociae mentionem non facit, cum de Cyri potestate agat. (Just. V, 5.)

Contraria igitur sunt Ctesiae atque Ephori testimonia Xenophonti, qui qua fide dignus sit in priore huius dissertationis parte intelleximus. Viri autem docti omnes Cappadociam inter Cyri satrapias enumerant, quod credi nequeat eum participem Cyri expeditionis in describenda ipsius imperatoris potestate tam graviter errasse. Tamen ex ipsis Xenophontis libris sumi possunt argumenta contra hanc sententiam.

Primum igitur discrepantia quaedam est inter An. I, 9, 7 atque Hell. I, 4, 2, quo Cyrus *ἄρξων πάντων τῶν ἐπὶ θαλάττῃ* appellatur. Neque enim quisquam haec verba ad Cappadociam quoque spectare contendet. Congruunt autem plane cum Diod. XIV, 12.

Sed etiam firmius argumentum afferri potest. Cyrus, cum Iconio profectus exercitum duceret per Lycaoniam, concessit

hanc terram Graecis populandam, *ὡς πολεμίαν οὖσαν.* An. I, 2, 19. Quam regionem, quali erat situ, Persis subactam fuisse elucet. Nam cum Lycaonia porrigeretur angustus tractus inter Phrygiam et Cappadociam, illam in Persarum potestate esse oportebat, ne harum provinciarum commercium interrumperetur. Cum singularis satrapa Lycaoniae non esset praefectus, finitimae cuidam provinciae addita erat. Sed neque sub Phrygiae administratore erat neque sub Ciliciae rectore, cuius mulier amicitia coniuncta erat cum Cyro, ita ut hic partem provinciae eius diripere non potuisset. Itaque nulli terrae nisi Cappadociae adiecta esse potuit. Idem patet ex Anabaseos fine, quo idem unus satrapa Cappadociae et Lycaoniae commemoratur. Qui locus cum non sit Xenophontis, fide est dignus. Itaque si Cyrus Cappadociam obtinuisset, Lycaonia quoque eius fuisset. Ipsius igitur provinciam vastari iussisset. Sin autem haec gens non sub eius potestate erat, — atque hoc quidem ex illo Anabaseos loco luce clarius efficitur, — tum certe Cappadociam non tenebat.

Considerandum autem est, qui Xenophontis de Lycaonia error explicandus sit.

Revocemus in memoriam militibus Graecis initio expeditionis falso esse pronuntiatum contra eos, qui in Cilicia atque Pisidia a rege defecissent, bellum geri, quare pro rege, non contra eum illi expeditionem esse susceptam putabant. Diod. XIV, 19. Xen. An. I, 2, 1. Itaque, cum Lycaoniam ab eis devastatam esse sciamus, hostes regis esse huius terrae incolas militibus expositum esse intellegimus. Ad verba igitur *ὡς πολεμίαν οὖσαν* supplendum est *βασιλέως*, non *Κύρου.* cf. An. III, 2, 23. Re vera autem Cyrus Lycaoniam populatur, quod haec provincia sicut Cappadocia stabat a rege. Simili modo cur de altera satrapia erraverit Xenophon explicandum est. Coniciemus enim ex An. I, 9, 7 militibus esse dictum Cappadociam Cyro subditam esse. Qui cur id simulaverit, perspicimus, si haec consideramus. Antequam ex Asia minore decedere poterat, Cyrum Cappadociam, cum esset finitima Phrygiae, ipsius satrapiae, in potestatem redigere opus erat. Itaque eo duxit exercitum. (An. I, 2, 20.) Quo in itinere milites certe offendissent, si illam provinciam non esse Cyri scivissent, cum huic in Ciliciam properanti iter non esset per Cappadociam. cf. I, 2, 19. Itaque hanc esse inter satrapias eius militibus erat pronuntiatum.

Qua sententia illustratur locus obscurus, qui exstat An. I, 2, 20. Legimus enim: *ἐν ᾧ* (scil. Tyanae in urbe) *Κῦρος ἀπέκτεινεν ἄνδρα Πέρσην Μεγαφέρνην, φοινικιστὴν βασίλειον, (καὶ ἕτερόν τινα τῶν ὑπάρχων δυνάστην), αἰτιασάμενος ἐπιβου-*

λεύειν αὐτῷ. Quis fuerit hic Megaphernes quaerendum est. Ex nobilissimis Persis eum fuisse appellatione *φοινικιστὴς* efficitur. Vestimento enim purpureo viri genere illustres atque de Persarum regibus bene meriti honorabantur. cf. Her. III, 84. Xen. Cyr. I, 3, 2; II, 4, 1; 4, 6; VIII, 3, 1 ss. Quod apud Trogum sermo fuit de purpuratis Persicis, hoc ad illos viros quadrat. (prol. l. X.) Viri a Trogo commemorati omnes satrapae munere fungebantur. Qua ex re quamquam satrapas idem fuisse atque purpuratos conici non licet, certe satrapas ex eorum numero eligi usitatum fuisse patet.[27])

Cyrus igitur in Cappadocia virum interfecit ex eorum ordine, e quibus satrapae designari solebant, Idem si Cappadociam subigere sibi volebat, imprimis satrapam a rege institutum removere debebat, ut ipsius vicarium constituere posset. Ergo Megaphernem regis satrapam Cappadociae fuisse verisimillimum mihi videtur. Milites, cum illam provinciam Cyri esse putarent, celati sunt de Megaphernis condicione. Quo necato Cyrus in Cappadocia ut in ceteris provinciis vicarium instituit. Quodsi in fine Anabaseos, quo loco Cyri vicarii Phrygiae et Lydiae afferuntur, a Sophaeneto — ex huius enim descriptione Cyri expeditionis decerptum esse illum locum probabilissima est coniectura — Mithridates nominatur Cappadociae atque Lycaoniae administrator, hunc a Cyro institutum esse nemo non coniciet.

His, quae disserui, et Xenophontem errasse de Cappadocia Cyro attributa et quomodo error eius natus sit explicasse puto. Itaque cum haec provincia a Dareo rege cum ceteris Cyro non attributa, sed ab hoc vi expugnata esset, non maiorem satrapiarum numerum hic accepit quam qui ante eum Sardium erant satrapae. Neque autem minorem obtinuit. Omittit enim Xenophon in Cyri provinciarum indice (X. An. I, 9, 7) et Ioniam et Aeolidem. Quas sola eius neglegentia praetermissas esse putaremus, nisi An. I, 1, 6 legeremus: *καὶ(γὰρ) ἦσαν αἱ Ἰωνικαὶ πόλεις Τισσαφέρνους τὸ ἀρχαῖον ἐκ βασιλέως δεδομέναι, τότε δ' ἀφεστήκεσαν πρὸς Κῦρον πᾶσαι πλὴν Μιλήτου.* Cyro igitur teste Xenophonte a 408 hae urbes a rege administrandae non traditae erant. Quae narratio tam mira mihi videtur esse, ut fidem ab ea abiudicare audeam. Neque enim video, cur rex, cum Cyro potestatem extraordinariam dederit, eam provinciam, quae usque ad id tempus semper cum ceteris erat congregata, detraxerit Cyro seiunctamque Tissapherni tradiderit.

---

[27]) Fortasse purpuratorum idem erat ordo, quem Xen. Cyr. VIII, 1, 10 *συμφύλακας τῆς εὐδαιμονίας* (*βασιλέως*) et Oec. IV, 6 *πιστοὺς* nominat.

Hae dubitationes augentur tota illius praefationis natura, qua Xenophontem non intellexisse rerum seriem demonstratur.

Inde a § 6 quomodo Cyrus comparaverit milites Graecos scriptor narrat. Ac primum eum praesidiorum urbanorum ducibus imperasse, ut quam maximas copias Graecas colligerent, *ὡς ἐπιβουλεύοντος Τισσαφέρνους ταῖς πόλεσιν.* Hunc autem Miletum solam obtinuisse ipse addit auctor. Re vera istam causam protulisse Cyrum praeter Xenophontem nemo credet nisi Iudaeus Apella. Hoc quoque loco, quod saepissime in scriptis Xenophontis occurrit, res quidem gestas recte reddit, causas earum de suo adicit.

Facta accurate narrata haec sunt: urbes Ionicae, quae aliquando Tissaphernis fuerant, ab hoc desciverunt. Postea sub Cyri postestate eas Xenophon invenit. Quod explicare studens, cum eas Cyro traditas esse simul cum ceteris satrapiis nesciret, a Tissapherne ad eum defecisse finxit. Confirmatur opinio quam proposui verbis *τὸ ἀρχαῖον δεδομέναι,* cum haec aperte spectent ad id tempus, quo primum Tissaphernes satrapiarum administrationem suscepit. Quod hoc quidem loco nullius est momenti, sed Xenophonti, si quidem rerum conexum intellexisset, premendum erat has urbes ut ceteras provincias a. 408 Tissapherni non demptas neque Cyro attributas esse.[28]) Aliud quoque argumentum accedit, quo debilitatur Xenophontis testimonium. Miletum solam fecisse cum Tissapherne Xenophon dicit. Atque hoc quidem recte sese habet. Nam teste Thucydide (VIII, 5) Tissaphernes tributa ab urbibus Ionicis exigere non potuit. Qua ex re descivisse eas a satrapa intellegimus, sed non ad Cyrum, immo vero ad Athenienses. Miletus autem sub Tissapherne erat eo tempore. Praesidia enim eius in urbe collocata fuisse cognoscitur ex Thuc. VIII, 84 et 109. Itaque re vera urbes Ionicae defecerant a Tissapherne praeter Miletum. Tamen haec quoque urbs haud ita multo post praesidia eius expulit (Thuc. VIII, 84 et 109) neque Tissaphernem eam in suam redegisse potestatem traditur.

---

[28]) Quod cum praetermiserit Xenophon, dubito, num omnino Tissaphernem alias praeter Ioniam provincias administrasse ante Cyri adventum persuasum habuerit. Ne verbo quidem, quamquam saepissime occasio exstabat, hoc ille indicat. Quare eo magis offendimus, cum Xenophon non solum potuerit, sed etiam debuerit hoc significare. Nam cum Thucydides (VIII, 5) Tissaphernem falso, ut supra vidimus, *στρατηγὸν τῶν κάτω* appellasset, Xenophon, qui eius descriptionem belli Peloponnesiaci ad finem perduxit, errorem eius corrigens veram Tissaphernis condicionem explicare debuit. Quod cum neglexerit, ipsum Xenophontem verum eius munus ignorasse apparet.

Hic fere erat rerum status, cum Cyrus subiturus Tissaphernis satrapiarum administrationem adveniret. Huic sponte illae urbes se subiecisse videntur, quod teste Xenophonte a Cyro stabant neque hunc vi eas subegisse audimus. (Xen. An. I, 1, 6; Hell. III, 1, 3.) Hoc autem eluçere puto eas non iam in Tissaphernis potestate fuisse, cum Cyrus caranus nominatus esset.

Ad Mileti obsidionem et exercitum et naves Cyrus comparavit, cum cives ex urbe expulsi auxilium ab eo petissent. Qua de re vix dubitabimus. Mera autem Xenophontis coniectura est Tissaphernem eos fugisse. Duae fuisse in urbe videntur partes, quarum ab altera qui stabant eiecti Cyrum admonuerunt, ut ipsos reduceret. De urbe Cyro tradenda inter cives fuisse controversiam facile coniciemus.

Ergo Ioniam ab initio Cyro concessam esse a rege censebimus.

Quod de Cyri satrapiarum ambitu constituimus, idem valet de eius successoribus: de Pharnabazo, Ariaeo. Huic successisse videtur Autophradates, qui teste Theopompo (fr. 111) Lydiae satrapa erat. Qua voce ut apud Plutarchum (Art. II) pristinum Croesi regnum significari inde apparet, quod etiam post Autophradatem unum Phrygiae Lydiaequae satrapam invenimus.

Talem enim fuisse Artabazum nunc erit demonstrandum.

Hic satrapa erat Lydiae, ut apparet ex Diod. XV, 90, 3 sublato scriptoris errore. Suo enim iure Krumbholz l. l. p. 86 Diodorum confudisse nomina Artabazi atque Autophradatis coniecit. Artabazus igitur Lydiae satrapa est, qui a rege descivit, quae res certe a Diod. XVI, 34 indicatur, cum pro Artabazo cap. 91 scribendum sit Autophradates. cf. Nep. Dat. VII et VIII; Polyaen. VII, 21, 6, 7; 27, 1; Front. II, 7, 9; Xen. Ages. II, 26. In eodem autem capite 90 Ariobarzanes Phrygiae administrator affertur. Quam significationem ne ad maiorem Phrygiam referamus cavendum est. Neque enim satis diligens est Diodorus in usu Phrygiae nominis, cum nonnullis locis maiorem eo appellet, ut XIV, 19, 20, aliis minorem, ut XIV, 11. Ariobarzanem autem fuisse satrapam Phrygiae ad Hellespontum sitae plane elucet e Diod. XVII, 17, 6, quo loco quin verba *ὁ Φρυγίας ποτὲ σατραπεύσας Ἀριοβαρζάνης* ad notissimum illum satrapam spectent non est dubium. Conexu autem rerum de Phrygia minore sermonem esse discimus. Expressis verbis idem de eodem Ariobarzane comprobatur a Trogo. (prol. X.) Denique haec quoque eiusdem rei argumenta proponi possunt Timotheo Atheniensi ille Sestum et Crithoten, urbes ad Hellespontum sitas, dono dedit. (Nep. Tim. II.) Sestum urbem eum posse-

disse Xenophon quoque testatur. (Ages. II, 26.) Ergo Ariebarzanes Dascylium provinciam, quam Herodotus dicit, obtinuit. (cf. Krumbholz p. 71 ss.) Diodorus autem praetermittere potuit, utrius Phrygiae satrapa ille esset, quod singularis Phrygiae maioris administrator omnino non exstabat.

Quae cum ita sint, non est cur Artabazum praeter Lydiam ipsam Ioniam et Phrygiam maiorem non administrasse putemus. Idem fere de illo memoriae tradidit Demosthenes (XXIII, 154 s.), qui Lydiam et Phrygiam et Paphlagoniam satrapias eius enumerat. [Paphlagoniam falso sine dubio Demosthenes Artabazo attribuit.]

Eandem potestatem atque Artabazus tenebant Rhoesaces, qui satrapa Lydiae et Ioniae nominatur a Diodoro (XVI, 47,) et Spithrobates. Arrian I, 12, 8. Hic a Diodoro indiligenter Ioniae satrapa appellatur (XVI, 19, 4).

Ultimus satrapa eiusdem provinciae nominatur Atizyes, qui Spithrobati in pugna ad Granicum occiso [29]) successisse videtur. Arr. I, 16, 3; 25, 3. Quodsi satrapa Phrygiae hic affertur, hoc certe ad maiorem spectat, cum ceteras eius provincias Alexander, Macedonum rex, teneret. Itaque illum non hyparchum satrapae cum Krumbholzio (p. 71) habebimus.

---

[29]) Quod Arrianus (I, 12, 8) hunc et Arsitem, Phrygiae minoris satrapam, enumerat inter eos duces, qui Macedonibus ad Granicum flumen obstabant, non offendemus neque eos duces habebimus eius exercitus, cui imperator praeerat. Ipsorum nimirum copias adduxerunt easque cum imperatoris exercitu coniunxerunt, quod provinciis eorum adventu Macedonum summum imminebat periculum. Quis imperium illius exercitus tenuerit, ex testimoniis scriptorum intellegi non potest. cf. Droysen, Gesch. Al. d. Gr. p. 185. Quod hic Atizyem, qui eidem pugnae interfuit, satrapam Phrygiae maioris tum fuisse censet, errore eius factum est, cum Spithrobates eo tempore administraret illam provinciam.

Imperatores	Satrapae Sardium	Satrapae Dascylii
—	Tabalus	
—	Oroetes ca. 525	Mitrobates
Megabazus	Bagaeus ?	
Otanes —492		
Mardonius 492	Artaphrenes ca. 500	Oebares
Datis 490		Megabates } Thuc. I, 129
Hydarnes ca. 484 (Her. VII, 135)		Artabazus }
	Pissuthnes — ca. 413	Pharnaces
	Tissaphernes —408	Pharnabazus —400
[408—401: Cyrus	Caranus]	
Tissaphernes 400-395	Pharnabazus 400-395	Asidates 400
		Spithridates 400—
Tithraustes 395—394	Ariaeus 395—	
Pharnabazus 394-393		
Tiribazus 393—392		
Struthas 392—391	Autophradates	
Tiribazus ca. 386	Rhoesaces	
Autophradates ca. 363	Artabazus ca. 363	Ariobarzanes —362
	Spithrobates —334	
	Phrygia maior: Atizyes	Arsites —334

Tabula Argumenti.

Vita.

Natus sum Adolfus Augustus Buchholz Lindenaviae in vico nunc Lipsiae urbi adiecto Kal. Aug. a. h. s. LXVIII patre Casparo Augusto praematura morte mihi abrepto, matre Friederica de gente Keil oriunda. Fidem profiteor evangelicam. Litteris elementariis per quinque annos imbutus a. LXXX scholam adii illustrissimam Thomanam, quae Jungmanno rectore floret. Inde a. LXXXIX maturitatis testimonio instructus Lipsiae militis officio absoluto studiis philologis me dedidi. Docuerunt me viri clarissimi de Bahder, Biedermann, Brugmann, Cichorius, Heinze, Hildebrand, Hofmann, Lipsius, Masius, Ribbeck, Wachsmuth, Fried. et Ed. Zarncke.

Proseminarii philologii per annum sodalis exstiti, in seminario philologo per sex menses officia praestiti sodalis extraordinarii, ordinarii per bina semestria regentibus Lipsio, Ribbeckio, Wachsmuthio.

Seminario historico Wachsmuthii et Cichorii auspiciis per ter senos mensos interfui, per idem tempus paedagogico Richtero praeside. Societatibus ut interessem benigne concesserunt Cichorius, Lipsius, Ribbeck, exercitationibus archaeologicis Schneider et Schreiber.

Hos omnes praeceptores gratissimo animo prosequi nunquam desinam, imprimis Cichorium et Ribbeckium, qui studia mea benevolentissime fovebant, atque Wachsmuthium, qui et institutione optime de me est meritus et hac in dissertatione conscribenda egregio me adiuvabat consilio.